INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

D. PAULI DELSIGNORE

CAN. REG. LAT.

INSTITUTIONES
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

QUAS

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS

ILLUSTRAVIT

D. VINCENTIUS TIZZANI

EJUSD. CONGR.

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO
HISTORIAE ECCL. DOCTOR DECURIALIS
E COLLEGIO THEOLOGORUM URBIS

PERIODUS PRIMA

A CHRISTO NATO AD CONSTANTINUM MAGNUM

PARS I. EXTERIOR

ROMÆ
TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI
ET FRANCISCI FILII
1837

ALOISIO LAMBRUSCHINIO

CARDINALI

S. E. R. BIBLIOTHECARIO

SS. D. N. GREGORII XVI. PONT. MAX.

A SECRETIS STATUS

S. CONSILII DISCIPLINÆ STUDIORUM

PRÆFECTO

ETC. ETC. ETC.

D. VINCENTIUS TIZZANIUS

CAN. REG. LAT.

Vix Ecclesiasticae Historiae tradendae munus in Archigymnasio Urbis susceperam, cogitare coepi qua potissimum ratione beneficiis a Te, Vir Eminentissime, acceptis, aliqua ex

parte responderem; neque plura evolvere opus fuit, quin illud statim occurreret, quod et Decessori meo, parenti prope alteri satisfaceret, et Tibi de me summopere merito gratum devotumque animum praeberet. Quod si nec pauci viri nec ignobiles multum aucupant, diuque ambiunt ut libris suis Patronum comparent, mihi aliter obtigit, cum Te Patronum

ac Auspicem jam fuerim expertus, Te nempe, Quem exiguitas mea meumque opus non eruditione satis commendatum, non sermone expolitum, multoque magis Paulus Delsignore, qui morte interceptus alienum praesidium petere videtur, etiam atque etiam expostulant. Ejus igitur labores, quibus meos quantuloscumque addas velim, Tibi Do et Dico,

Princeps Eminentissime, cujus auctoritas contra obtrectatorum ictus eosdem tuebitur. Nec sit qui sciscitetur, cur de Nomine Tuo mihi gratuler, valdeque glorier. Te enim Philosophicis et Theologicis disciplinis egregie cultum, ad graviora quaeque obeunda spectabilis Congregatio Tua praeelegit, et Cardinali Fontanae arctissima familiaritate devinctus, adscitus,

haud imparem Te praestitisti: praeter haec fere domestica, a Romanis Pontificibus magni factus, ad ea omnia assumptus es, quae non vulgaris sapientiae ac prudentiae sunt; ideoque Consultor primo Sacrae Inquisitionis, deinde in Theologos S. Consilii doctrinae probandae Pontificum designatorum cooptatus. Praeterea a PIO VII in maxima rei ecclesiasticae

consilia adhibitus, Etruscae legationi una cum Cardinali Arezzo, et Neapolitanis tractationibus cum Cardinali Consalvio interfuisti. Omitto Ligurem Ecclesiam singulari providentia gestam, novoque splendore auctam, omitto hujusce regiminis memoriam apud cives illos usque et usque vigentem. At altiora quae Te manebant, silenda non sunt, quibus

Italia non modo, sed Europa universa frui debet, atque laetari. Prostant quae et quanta egeris in Pontificia Legatione apud Christianissimum Regem, ea praesertim temporum acerbitate, ea rerum conversione, quae omnium animos occupavit. O pereximium **GREGORIUM XVI** nulloque praeconio aequandum, Cui nil magis curae est, quam summos

viros summis honoribus afficere, atque provehere! hoc quoque ad illius gloriam accedit, quod Romana Purpura illustrium meritorum praemio Te ornaverit. Haec profero in veritatis testimonium, omnisque abest in re tam aperta communique judicio comprobata assentationis suspicio. In Tuis laudibus tantisper immorari mihi licuit, quandoquidem apud

nostrates et alienigenas nemo est qui in consilio prudentiam, in rebus gerendis constantem solertiam, in publicis negociis componendis admirabilem aequitatem non ultro fateatur, et praedicet. Consentientes habeo Principum Oratores ad Apostolicam Sedem, queis nondum satis constare videtur an doctrina, an perspicacia, an sagacitas in tuis dotibus praevaleant.

Nil denique providentiam Principis nostri Optimi et Beneficentissimi amplius ostendit, quam suprema negocia Tibi permissa, a quo tutissimum in rerum trepidatione praesidium, deinde subsidia omnigena, et incrementa referuntur accepta. Munusculum igitur, quod Tui juris est, Tibi offero ex illis fructibus, quos in disciplina studiorum regenda sedulus

cultor parare, et fovere non destitisti. Eosdem porro fructus cl. decessor meus a Te quam saepissime repetere solebat, Quem olim in Theologica disputatione adversarium atque auspicem sortitus fuerat.

Habes Eminentissime Princeps quae me adduxerunt ut *Institutiones Ecclesiasticae Historiae* nomine Tuo insignitas typis mandarem: habes publicum,

quod maxime debebatur, reverentiae indicium, apertamque grati animi significationem, quam a benignitate TUA excipi confido, rogans et obsecrans ut me complecti, ac tueri non desinas tantisque beneficiis hoc unum etiam addere non dedigneris. Quod si rei tenuitatem fastidias, ingenuos animi sensus et affectus TIBI pensandos commendo.

PROŒMIUM

Egregios usus, mira subsidia, in universam Theologorum doctrinam habet lateque profert Ecclesiastica Historia. In ea siquidem veterum Patrum sententiae quae dogmata, et disciplinam Ecclesiae tantopere asseruerunt, decretoria Romanorum Pontificum judicia, ineluctabiles Conciliorum definitiones, insignes de pertinaci haereticorum pravitate triumphi, deducta ad nostram usque aetatem intercepto nunquam tramite rei sacrae Traditio, quae lux est veritatis, quae saeculorum est fides, temporum denique vices, et successiones gravioraque monumenta ab aevi injuria, ab hominum fraudibus vindicata, et in communem adspectum posita sunt. Ea autem non modo plurima et prope modum infinita veritatis, fidei, ac pietatis testimonia suppeditat, sed splendido omnigenae virtutis apparatu, nobilibus exemplis nos excitat,

nos ut ita dicam alloquitur, estque ut Tullius de omni historia praedicavit, vitae nostrae Magistra. Sed hisce omissis, incredibile dictu est, quantum in Religionis hostes, ipsius Religionis historia contulerit, quantum hac duce et Magistra, vetera novis opponendo, strenui propugnatores de re Christiana meriti sint. Hisce armis instructi praeclarissimi Ecclesiae Patres Ignatius M. et Irenaeus Lugdunensis Antistes Simonianos, Nicolaitas, Cerinthianos, Gnosticos, totumque Ebionis et Valentini agmen, uno veluti ictu perculere. Patrologiam legentibus occurrit Theophilus Antiochenus, occurrunt Patres Antiocheni, Cyprianus, Gregorius Neocaesariensis, Pacianus Barcinonensis, Athanasius, Basilius, Cyrillus, Theodoretus, Hieronymus, Augustinus, ut de Maximo, et de Joanne Damasceno sileam, qui omnes exortas suis temporibus haereses Marcionis, Pauli Samosateni, Montanistarum, Novatianorum, Arii, Macedonianorum, Nestorii, Euthychetis, Luciferianorum, Donatianorum, Pelagii, Manichaeorum, Monothelitarum, Iconomachorum aliorumque, singillatim aggressi sunt: unanimis Episcoporum consensio, deductus continenti serie Pontificum Romano-

rum ordo, scita, et praxis Ecclesiae vetustate ipsa sancita, vis totius Traditionis, Romanae sedis decreta, uno verbo, totius Historiae Ecclesiasticae auctoritas, hi clypei, haec praesidia fuere: unde recte Valesius in Eusebium scientiam istam dicere potuit, ad revincendos haereticos apprime conducere. At quod plane necessarium est id aliquando negligi perdolemus, quasi Ecclesiastica Historia in Theologiam universam nunquam advocaretur. Recte hisce verbis in ejusmodi homines animadvertit doctissimus Melchior Canus O. P. "viri omnes docti consen-,, tiunt, rudes omnino Theologos illos esse, in ,, quorum lucubrationibus Historia muta est. ,, Mihi quidem non Theologi solum, sed nulli ,, satis eruditi videntur, quibus res olim gestae ,, ignotae sunt (*a*),, qui idem cl. Auctor quamplurimos recenset scholasticos historiae rudes, ideoque varie prolapsos. Mabillonius e contra ab inclyto quodam coaevo, et in haeresi nato se pluries audivisse testatur, veritatis lumen ab historiae lectione potissimum ei eluxisse (*b*). Non

(*a*) De Locis Theolog. Lib. XI. cap. 2.

(*b*) In tractatu de Studiis Monasticis Cap. VIII. pag. 274. Venet. 1705.

diffitemur profecto, arduam sane periculosamque viam Tyronibus proponi, sed recta accurataque methodo incedentibus expediri, atque explanari contendimus. Qua in re illud praemonere volumus duplicem esse Ecclesiasticae historiae addiscendae rationem, levem alteram, atque ut dici solet, e limine, iis nempe qui sacram eruditionem non profitentur, alteram vero solidam atque exquisitam, quae interiora monumenta pervadit, fontes consectatur non rivulos, qui raro illimes, et defaecati esse solent. Nobis autem facile simulque absolutum undequaque opus afferre percupientibus mirum in modum arridet, atque probatur methodus, quam in Tractatu de studiis Monasticis clarissimum illud Benedictinae familiae lumen Mabillonius proposuit (*a*), et Gregorius Zallwein reproduxit (*b*). Hic, Mabillonius, posteaquam demonstrasset *universam literatorum Rempublicam cogi fateri quidquid apud nos extat historiarum superstes, Monacorum dumtaxat solertiae deberi, qui eas*

(*a*) Loco cit.

(*b*) In opere inscripto - Principia Juris Ecclesiastici etc. - T. II. C. V. §. 4. pag. 434. et seq. Augustae Vind. et Oeniponti 1763.

antiquariorum manu saepe numero repararunt suadet in Ecclesiasticam historiam legendos Josephi libros de Antiquitate Judaica, de Bello Judaico, nec non historiam Eusebii, Socratis Sozomeni, Theodoreti, Theodori Lectoris, Philostorgii, Evagrii, Theophanis, Bibliothecam Byzantinam etc. Adjungit praeterea cl. auctor Gregorium Turonensem, Bedam Venerabilem, Annales S. Bertini, Eulogium Cordubensem, Hodoardum, Luithprandum Diaconum Papiensem, Dithmarum, Lambertum Scafnaburgensem, Hugonem abbatem Flaviniacensem, Sigebertum, Ordericum, Vitalem, Willhelmum, Malmesburiensem, Matthaeum Parisiensem, et Annales Baronii quibus omnibus superaddendi sunt, quos recensent Vossius, et Labbé, et Mabillonius ipse loco cit. Hi omnes in re tam gravi facem praebent, et ad rectam methodum viam sternunt, unde qui ex Historiae fontibus ac sedibus doctrinam suam eruere novit, prudens quoque sincerumque judicium ad cetera omnia adjuncta, et consectaria afferre poterit. At hoc summopere studioso viro cavendum, ne severioris critices expers ad haec evolvenda accedat, et in meridiana luce sibi, aliisque tene-

bras offundat; sed ita comparatus et excultus sit, ut genuinos foetus a subdititiis discernere, fidemque suam caute sciteque impertire non desinat. Etenim plura sunt quae superioribus aetatibus indubitanter tenebantur, et tamen in posterum subtilius perspecta, et quasi dicam, acu tacta fabulis in praesentia adnumerantur, plura perdudum in commentis relata, quae posterior aetas, novis luminibus admotis vindicavit: absit praeceps festinatio judicii ne palinodiae cantus subsequatur. Utque hic scopulus devitetur perpendendum est an Scriptor enarratae rei scientiam tenuerit, an simul a veritatis amore ad scribendum accesserit: rumoribus vulgi non alia sit fides quam quae tam incerto, instabili, et tumultuario testimonio debetur. Neque silentium Scriptorum rem satis infirmat, ejusque falsitatem infert, siquidem in promptu saepe saepius sunt ipsius silentii causae, ut videmus in Eusebio qui licet Concilii Nicaeni decreta ignorare haud potuerit, tamen cum Ario adhaerens esset, quae Arium spectabant, silentio praetermisit. Dissensus qui obmutescit, et nihil exterius profert, nostra quidem sententia, parvi pendendus est, neque factum aliquod aliunde comproba-

tum fidei suae jacturam patitur. Quin vero omnis ingenii acies intendi omne eruditionis subsidium advocari debet in sedulam monumentorum inspectionem , an integra et incorrupta, aut interpolata et vitiata ad nos usque pervenerint: atque hic corruptionis indicia ex characteribus, ex forma, ex stylo ad critices regulas exigenda. His auspiciis viam ingredi possumus, et, si necessaria eruditione non laboret, si vacua sibi constet a praejudiciis mens, et a partium studiis aliena, totum curriculum inoffenso pede, et feliciter dimetiri. Haec animi integritas qua extrema librorum coronis, non secus ac exordium indiget, plerisque Germaniae historicis desideratur, qui praeoccupatis opinionibus interversi, et obruti veritatem ac sanctissimam Christi religionem, e conspectu amiserunt, et amissas nullatenus sunt assecuti. Quis ignorat, duobus ab hinc saeculis eximios floruisse Scriptores in Germania praesertim, sacrae eruditionis doctrinaeque laude praestantes, qui tamen firmissimam traditionum Ecclesiae auctoritatem modo vellicare, modo aperto rejicere, ecclesiasticam libertatem impugnare, et tandem Romanorum Pontificum D. Petri succes-

sorum dignitati, et potestati obsistere ausi sunt? Habuisset inter eos profecto historia Ecclesiastica qui mirum in modum eam illustrare, et augere poterant: habuit e contra, qui novitatis amore flagrantes, patriis tenebris obcaecati, graviora monumenta, vel dissimularunt, vel ad suum sensum detorserunt. Atque utinam falsae, et perpetuo deplorandae reformationis specie et imagine non allucinarentur, iidsdem meritis, quae majores sui in Ecclesiae monumentis evolvendis explicandisque procul dubio praestiterunt, eadem gloria responderet. Nunquam satis dolendum opera multis numeris praedita, exquisita eruditione ornata a temerario in Romanam hanc Sedem odio labefieri, atque foedari. At qui exterorum lucubrationes aliquo sensu efferimus, nolumus profecto Italorum studiis ac laboribus quidquam detrahere; nolumus in domesticis divitiis alienas opes desiderare. Quis enim nescius est in florentissima hac Italiae Regione, studiorum omnium domicilium ac magisterium semper extitisse. Cui non nota admiranda sane et continens eruditorum virorum series, qui innumerabiles sunt, et chronotaxim historicam in communem aspectum protulerunt, Patrum

opera eruditionis luminibus illustrarunt, monumenta quaeque oblivione quasi deleta, temporum injuria contrita restituere, et vindicare satagerunt? At hic animadversionem nostram effugere nequeunt alienigenae nonnulli (bona cum eorum venia dicam) qui ditissimam Italicae doctrinae supellectilem vel e limine salutant, vel a gentilibus tantum copiis laudem quaerentes, vi patriae abrepti aliena incrementa, alienas opes pro nihilo habent: sunt etiam qui linguarum notitia carentes ipso gradu atque aditu ad exterorum penetralia prohibentur. Nec quisquam sibi persuadeat me novum hominem, et aliorum judicio indigentem, judicia in aliorum causa exercere, et qui sententiam mihi praetimeo, de aliis sententiam proferre; habeat enim ante oculos agi de re obvia unanimique doctorum sensu firmata, in qua nihil praesumere, nihil arroganter eloqui possumus. Et qui aliorum vel imprudentiam, vel ignaviam attingimus, honoris testimonium, et si fieri posset amplissimum iis inter alienigenas denegare non audemus, qui criticis animadversionibus, et acutis disquisitionibus nostris praesertim temporibus rem Ecclesiae publicam praeclare juvarunt. Hinc cl. decessor meus

ceu apis sedula in mellificio, ex aliorum agris nitidos flores decerpere, vividos colores in rem suam inducere non dubitavit: rejectis illinc absurdissimis Protestantium commentis, quae integra, et utilia essent adlegit: hinc veritatem catholicam praefigens, nostrorum Scriptorum methodum incessit. Excogitaverat primo quidem factorum enarrationem in quolibet distincto saeculo complecti, quod post Moshemium egerat vir singulari doctrina sacraque dignitate Eminentissimus Petrus Caprano, cum jam omnium plausu Historiam Ecclesiasticam in Gregoriano Lycaeo traderet; sed re interius perspecta, nihil demere arbitratus est ab existimatione sua erga Capranum, si opus suum ad accommodatiorem formam redigeret. Non laboribus, non vigiliis pepercit Delsignore, ut quam facillime Ecclesiasticam historiam posset explanare, sed huc modo, modo illuc adjiciens animum cuncta perpendens, selectissima sibi comparans, Historiam suam Theologiae Auditoribus in Romano Archigymnasio proponendam censuit. Et, ne quid eidem ulterius deesse videretur, sibi praestituerat adnotationes subjicere, quae allatas auctoritates altius revocarent, varia Scriptorum judicia

oppositasque sententias innuerent. Verum proh dolor! subita morbi correptio hominis consilia intervertit, et, quod dolorem superat, crastina vis morbi spes etiam omnes eripuit. Sistit quotidie ante oculos, ciet lacrymas illius imago, qui in ipso vitae exitu perficiendas Institutiones suas mihi, quem paterna dilectione prosequebatur, extremum allocuturus commendavit. Hanc ego voluntatem cum ejus spiritu excepi, et religiosissime custodire non desinam.

Universam Ecclesiae historiam a Christo nato ad Concilium Tridentinum partitus est in quatuor periodos, quae bifariam subdividuntur, prout externa, et interna comprehendunt; pars quaelibet exterior propagationem Christianae Religionis, ac persecutiones ostendit; interior in regimine ac hierarchia Ecclesiae, in Romanorum Pontificum gestis, in Conciliis, haeresibus, in ritibus et moribus, in fidei doctrina Christianorum, in Scriptoribus Ecclesiasticis versatur. Periodum quintam quae superest a Concilio Tridentino ad nostra usque tempora, Deo favente, conscribere mihi in animo est. Quia vero perdifficile et fere impossibile videtur, omnia in ejusmodi institutionibus persequi, ideo

impensam operam contuli, ut in meis adnotationibus praestantiores Scriptorum libros Auditoribus Ecclesiasticae Historiae indigitare possem, quorum saepe saepius non modo scripta, sed et paginam cum editione, ne temporis occurrat jactura, accurate citavi. Quod reliquum est, grati animi significationem non praetermittam D. Francisco Busirio, qui Congregationi nostrae, et Paulo Delsignore, et mihi libenter tribuit, ut ingenii aciem meis lucubrationibus admoveret.

INSTITUTIONUM
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
N. T.
PERIODUS PRIMA

A CHRISTO NATO AD CONSTANTINUM M.

PARS EXTERIOR

CAPUT PRIMUM

DE CHRISTI NATIVITATE, REBUSQUE AB EO GESTIS.

§. I.

Status Orbis Romani cum Christus nasceretur.

Tutior numquam visa est pax Romanorum, quam Gallis domitis, barbaris multis in ditionem redactis, prolatoque per magnum orbem imperio; neque illorum res vel latius praeconium exaggeravit, vel major laudum strepitus et quasi tumultus est prosecutus. Urbem nedum omnium Principem, sed et terrarum dominam, Cives nedum omnium praestantissimos, sed prorsus arbitros praedicari: quae grandiora aut incredibilia dicta essent, in gloriam nomenque romanum transferri. Qua in re superbo fastu actum esse unusquisque sentiet, si animadvertere velit multas quoque per ea tempora Romanorum hostibus patere regiones: Parthos, in imperio

esse, colluctantes Germanos diu varieque oppugnatos manus tamen victas haudquaquam dedisse. Verum Augustus, qui rejecto Lepido, et Antonio ad Actium profligato, ipsas Reipublicae parietinas everterat, sibi omni, quae in ea superesset, auctoritate adscita, hoc suis laudibus asserere valuit, ut Fores Jani Quirini, quod bis tantum ab Urbe condita obtigerat, ipse concluderet. Quae autem cum ita se haberent, et omnia unius Augusti Caesaris nutu verterentur, ipsis vero belli reliquiis ubique deletis, ea pax consecuta est, qua maxima uti licuit (1). Exoptata extitit tandem plenitudo tempo-

(1) De pace qua Augusti temporibus fruebantur Romani, vide Titum Livium, Svetonium, Horatium epist. i. lib. ii. v. 25 et seqq., lib. iv. Ode xv, et Augusti orationem ad Senatum apud Dionem lib. liii.

Divino consilio factum est, ut universo orbe in pace composito, dum Gentes unius tantum imperio subjiciebantur, Messias adveniret; ita Patres; quorum auctoritatem infirmare conatur Joannes Masson in tractatu Chronologico-historico, cui titulus: *Jani templum Christo nascente reseratum.* Roterodami 1700. Sect. i. cap. 2. p. 33; « *Orta est enim in diebus ejus justitia, et abundantia pacis* » (Ps. lxxi. 7.) *idque statim ac natus est* (Christus), subjunxit Origenes, contra Celsum T. I. opp. Lib. ii. p. 412 n. 30 edit. Monach. S. Mauri (Carolus De la Rue) Paris. 1733. - Eadem ferme habet Eusebius (Praep. Evang. lib. i. c. 4. pag. 10. edit. Paris. 1628. et in Dem. Evang. L. iii. c. 7. pag. 139-40 edit. Paris. 1628 vid. etiam ejusdem L. vii. c. 2. - Cff. S. Ambr. comment. in Psal. xlv. pag. 934. T. I. opp. edit. Paris. 1686. monach. S. Mauri (Jacob du Frische, Nicol. le Nourri) - S. August. de Civit. Dei lib. xviii cap. 46. extat T. VII. opp. edit. Paris. 1665 Monach. S. Mauri (Franc. Delfau, Thom. Blampin, Petr. Coustant, Claud Guesnié)-S. Hieronym. Comment. in Isaiam « Orto autem Domino Salvatore quando sub Praeside Syriae Cyrino prima est in Orbe Terrarum facta descriptio, et « Evangelicae doctrinae pax Romani Imperii praeparata; tunc omnia

ris, Anno circiter a constitutione mundi quatermillesimo, in qua natus est Christus Jesus, Deus, et Homo, Dei Patris Unigenitus, ejusdemque cum Patre substantiae, ab eo tamen hypostasi distinctus, qui in Mariae Virginis utero de Spiritu Sancto conceptus, carnem, et humanam animam assumpsit, ut salvum faceret quod perierat (2).

§. II.

Christi Ortus.

Datis tunc temporis a C. Caesare Octaviano Augusto Edictis, ut in Universo Romano Orbe (3)

« bella cessaverunt, et nequaquam per oppida, et vicos exercebantur « et praelia » extat Tom. III. opp. col. 23 edit. Paris. 1704. Monach. S. Mauri (Joan. Martianay.)

(2) Vid. Appendix ad calc. h. ubi et de Jani Templo, et de anno Christi Natalitio eruditorum sententiae exponuntur.

(3) Praeter diss. Hyacinthi Hintz de divi Lucae verbis « *Exiit* « *Edictum* etc. . . Carali 1796. legendus est Norisius in Cenot. Pis. diss. 2. C. xvi. §. 12. pag. 287. ext. in Thes. Antiq. et hist. Ital. per Graevium, et Burmannum T. VIII. Part. III. edit. Lugd. Batav. 1723. Vide Hoffmann in diss. – de censu Romanorum primo – Barth. Christ. Richardum in diss. – de censu Augusti universe indicto – Extant T. II. Thes. Ikenii, et Hasaei pag. 424. et 428. Amstel. 1732. et Henricum Benzelium in diss. – de censu Augusti ext. T. I. pag. 99. Syntagm. diss. Francofurti 1745. De verbis D. Lucae *Exiit Edictum* vid. etiam Lardnerus in op. angl. scr. – Credibilitas historiae Evangelicae – part. I. lib. ii. c. 1. Lond. 1827. Cf. quoad descriptionem Quirini praeter Pitschmannum in dubiis Ecclesiast. N. T. Sect. I. Deylingium Part. I. Obss. Sacr. pag. 432. edit. Lipsiae 1735. Jo. Christophorum Wolfium in lib. inscripto – Curae Philologicae, et Criticae – T. I. pag. 577. edit. Basil. 1741., nec non Spanhemium in dubiis Evang. pag. 104. edit. Genev. 1700. Vid. Appendix h. libri ubi de voce οικουμενη.

non civium solum, sed sociorum capita censerentur (necesse enim erat, ut suum nomen quisque in tabulas referret, ubi Majorum natale solum extiterat) Josephus, et Maria qui fuerant de Domo, et Familia David (4), Nazareth una discesserunt, et contenderunt Bethlehemum, ut nomen suum profiterentur. Cum autem essent ibi, impleti sunt dies ut pareret Virgo (5), et peperit Filium suum Primogenitum,

(4) De Christi genealogia vide praeter sacros scriptores, Petrum de Marca in diss. I. de stemmate Christi pag. 1. et seq. edit. varior. opusc. Paris. 1681. Bollandianos ad diem xix. Martii T. III. mens. Mart. p. 10 et seq. Hottingerum in duab. diss. - de genealogia Christi - pag. 73. T. II. Thes. Ikenii jam cit. nec non Calmetium in diss. praefixa Evang. S. Lucae ubi conciliantur genealogiae J. C. ap. S. Matthaeum, et S. Lucam. T. VII. opp. pag. 347. Ven. 1732. Fueritne Josephus Faber lignarius, aut ferrarius quaestio est. Lignarium fuisse tradit Justinus, et cum eo fere omnes, ut videri potest ap. H. Grotium in Annot. ad c. 13. Matth. p. 144. T. II. opp. Theol. Basileae 1732. Christus communi Judaeorum opinione credebatur Josephi filius. V. Hierony. Guadalup. Comment. in Luc. c. 4. Alphonsus Salmero Tom. VII. tract. 20. quasi scilicet humano semine ad instar omnium hominum fuerit conceptus. Hanc haereticam opinionem Judaeorum, secutus est Carpocrates, et Cerinthus; vid. Tertullianus - l. de Praescript. adv. haer. Cerinthi error describitur ab Irenaeo lib. i. adv. haer. c. 25. Idem senserunt Ebion, et Ebionitae qui Christum Jesum Ψιλάνθρωπον hominem simplicem, vulgarem, communem ἐξ ἀνδρός τε κοινωνίας, καὶ τῆς Μαρίας γεγενημενὸν dicebant. Vid. Eusebius Pamphil. Hist. Eccl. l. iii. c. 27. pag. 121. edit. Cantabrig. 1720. Philastrius Episcopus Brix. Part. 2. Catal. haeret. c. 7. 8. 9. T. IV. Bibl. PP. In eumdem errorem incidisse Florinum, et Florinianos testis est idem Philastrius part. 3. op. cit. Hujusmodi haeretici dicti sunt *Josephiani*. Eorum errores invaluerunt in Anglia an. 1651.

(5) De Christi loco natalitio in Urbe Bethlehem ad Matth. II. 1. 5. extat diss. Joh. Henrici Krausen in Thes. Theol. Philolog. Ikenii T. II. pag. 106. edit. cit.

(*Luc. II.* 6. 7.) pannis eum involvit, cumque non esset locus in diversorio, reclinavit infantem in praesepio (6).

§. III.

Christi Adoratio.

Puer a Pastoribus ingenuo, sanctoque cultu statim adoratur Octavo ab ejus ortu die, Judaeorum lege circumciditur, impositumque ei fuit nomen JESU (7), nomen jam ab Angelo Gabriele praenunciatum, antequam in utero conciperetur. (*Luc. II.* 21.). Dum adhuc Bethlehemi moraretur, Magi ab Oriente profecti, nova splendidissimaque stella Duce in Judaeam venerunt, et ubinam Judaeorum Rex natus esset, sunt sciscitati (8).

(6) Vide Origenem cont. Celsum lib. i. n. li. pag. 367. T. I. opp. edit. Maur. sup. cit. Jam Veteres Christiani solebant Christum in praesepio jacentem picturis exprimere, ut videre est apud Paulum Aringhium in Roma subterranea Tom. I. lib. iii. cap. xxii. pag. 615, 617. Romae 1651. Bollandianos in Propyleo ad acta SS. Maji pag. 44. Antuerpiae 1742.

(7) Ab Hebraica voce יֵשַׁע servatio, salus, metonymice salutis medium, et auctor. Jesus vocatur etiam Nazarenus ab Matthaeo, quod nomen Christo appositum, an fuerit derivatum a Prophetarum dictis non scriptis, an Matthaeus ea voce utens, respexerit Naziraeos vide Spanhemium in dubiis Evang. 87-94. Genevae 1700. De Nasiraeorum origine, usibus, et consuetudinibus leg. diss. Philologica *de Nasiraeis* M. Georgii Friderici Meinhardi. Jenae 1677.

(8) Magi, qui Christum adorarunt, unde venerint, adhuc quaestio viget inter eruditos. Alii putant venisse ex Arabia Orientali, et Felici, tum ex Ps. 71., tum ex auro, et thure, quae Arabiae et regioni Sabaeorum maxime conveniunt, etsi hujusmodi res, ne Persis quidem defuerint. Psalmistae verba - *Reges Tharsis* etc. - generatim de omnium

Judaicum Regnum per ea tempora regebat Herodes cujus cognomen Magnus, stirps Idumaea (9).

gentium vocatione potius essent explicanda. Ex appellatione *Magorum* probabilius eos Persas fuisse, quidam inferunt, cum apud Arabes inauditum hoc nomen dicant, apud Persas familiare; his adde et Persiae situm relate ad Judaeam, munera quae ex proxima Arabia haberi poterant, et adorationis actum. Qui autem fuerint Magi, et de hoc quaeritur adhuc. Nonnulli eos Reges appellant, Evangelista silet; Astrologi, et Philosophi potius, quam reges fuisse videntur. Quot fuerint, incertum; plures fuisse constat; tres tantum, vulgaris fert opinio. Eorum nomina *vulgo* Melchior, Caspar, Balthassar. Consul. Baronius ad an. I. n. xxx. Calmetius in diss. de Magis praefixa commen. in Ev. Matth. T. VII. pag. 59. Comm. liter. in Bibli. Venet. 1732. Petrus de Marca in diss. de adventu Magorum ad Christum. ext. inter opusc. ejusd. in lucem edita a Steph. Baluzio pag. 46. Paris. 1681. Gerardus Casteel Can. Reg. in Controversiis Eccles. hist. Controv. 2. de Magis Christum adorantibus pag. 12. Coloniae Agrippinae 1757. Inter Protestantes Christoph. Cellarius in diss. de Magis ex Oriente, stella duce Bethlehemum profectis. ext. in ejusd. Cellarii dissertationibus Academicis varii argumenti in summam redactis a Georgio Walchio pag. 622. Lipsiae 1712. Laurentius B. Triebel de Magis post Jesum in templo repraesentatum advenientibus ad Matth. c. II. v. 1. Caute legenda est haec dissertatio; ext. in alias cit. Thes. Philolog. Ikenii T. II. pag. 111. ubi pag. 118. alia ext. diss. de stella a Magis conspecta, ad Matth. II. 2. Jo. Friderici Miegii; nec non M. Balt. Stolbergius, M. Dan. Rhodenus, et tandem Chalcidius Platonicus Philosophus Comment. in Timaeum Plat. ext. T. II. opp. S. Hyppoliti editor. a Joh. Alberto Fabricio pag. 325. Amburgi 1716. Narrationem Matthaei de Magis et stella explicare conatur ex notionibus astrologicis veterum, et Orientalium, Hug in opere – Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments – pag. 274 et seq. Stuttgart, und Tübingen 1826. Admitti tamen debere in re vim supra naturalem, nos ex ipsa Matthaei narratione facile evincere possemus.

(9) De Herodis genere, et origine vide eruditiss. diss. Nicolai Serarii S. J. (Herodes) extat in Thes. antiq. sacr. Blasii Ugolini Tom. XXIV. pag. dcccxcviij. Venet. 1761. ubi adversus Scaligerum auctor demonstrat Herodem fuisse alienigenam. De nummis Herodiadum extat ibidem Prolusio Johannis Harduini pag. dccccxlvj.

Hic cum anno ante Incarnationem 37. Romanorum opibus innixus mortem intulisset Antigono, ultimo e Levitica Tribu Assamonaeorum Principi, et Judaeorum dominatione potitus esset, ita regia potestas juxta Jacobi vaticinium (*Gen. c. XLIX.* 10.) Judam defecit, et in alienigenam, quem nec ulla Israelitica Tribus genuisset, devenit. Ipse autem de rerum eventu per Magos certior factus, imperioque conservando unice intentus, a Sacerdotum Primoribus ad se accersitis, oraculorum declarationem, quae proprie illorum erat, sciscitatus est, a quibus post repetitos prophetarum libros responsum tulit, e Bethlehem Universi Reparatorem omnino proditurum esse. Magi, re comperta, Herodi internecionem infantis molienti, reditum Hierosolymas, salutato vix rege nato, asseveranter polliciti, Bethlehem contenderunt, et quo Christus erat, ingressi ipsum ut Deum adorarunt, eique obtulerunt, quae habebant munera (10); et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in Regionem suam (*Matth. II.* 12.) (11).

(10) De Cultu Jesui Christo a Magis adhibito adv. Richardum Simonium, et Samuelem Basnagium extat dissertatio Liberati Fassonii in Thes. Theol. T. IX. pag. 739. Ven. 1762. Vide ejusdem auctoris dialogum de tempore adventus Magorum ad Christum pag. 34. edit. Romae 1760. Cf. Sanclementium in vulg. aer. emen. p. 451.

(11) Extant nummi Magos exprimentes opertis capitibus pileis Phrygiis, ut in veteribus Sarcophagis ab Aringhio allatis T. I. Romae subterraneae pag. 295. et 327. edit. cit., et T. II. Vide Epistolam ad Jacobum Sirmondum Joannis Tristani a S. Amante pag. 41. edit. Paris. 1650.

§. IV.

Christi Fuga.

Magis profectis, admonitus ab Angelo in somnis Joseph, subito in Aegyptum secessit cum Uxore, et Puero, ne Herodes Jesum quaerens perderet. Hic enim, cum se a Magis illusum videret, valde iratus jussit omnes pueros occidi Bethlehemi commorantes, atque in omnibus ejus finibus a bimatu, et infra (*Matth. II.* 16.). Cladem tamen illam Christus, qui incolumis in Aegyptum venerat, effugit (12).

(12) Herodiani Infanticidii vindicias egit Castus Innocens Ansaldus. Brixiae 1746. Cur Josephus Fl. aliique Scriptores siluerint de infantium caede lege Spanhemium in dubb. Evangelicis, dub. 76. p. 500. Genevae 1700. « Non mirum est (*ait Bernardus Lamius*) si hujus « infanticidii mentionem non faciat Josephus, quod potuerit ignorare « cum literis illud non mandasset Nicolaus Damascenus, ex cujus com- « mentariis texebat Herodis vitam. Crudelia facta Principis, quo cum « amicitia junctus erat, non omnia memoriae mandabat Damascenus. . . « denique etiamsi infanticidium non ignorasset Josephus, forsan reticuis- « set; Herodes enim infanticida fuit, ne Messias regnaret, a quo se in liber- « tatem asserendos gentium jugo excusso, sperabant Judaei. Josephus « autem videtur in tota sua historia cavere, ne Romani mentem adver- « terent ad illam spem Judaeorum » Bernard. Lamius Apparat. in concord. Evang. Part. I. c. xi. §. iv. pag. 93 et seqq. edit. Venet. 1735. De Infanticidio ab Herode patrato vid. etiam Lardner in opere - Credibility of the Gospel History - i. e. Credibilitas Historiae Evangelicae - Part. I. lib. ii. c. 2. p. 346 et seq. Londini 1827. ubi respondet objectioni ductae ex silentio Josephi Flavii, adnotans rem omnem Herodis crudelitati esse conformem, causas silentii facile posse assignari, tandem factum confirmari auctoritate antiquorum Christianorum, et ipsius Macrobii Sat. lib. ii. c. 4., Animadvertit autem Michaelis, quod si oppidum Bethlehem mille continuisset animas, numerus marium, qui singulis

Herode vita functo, anno Urbis conditae 751 (13). Archelaus ejus filius regnare in Judaea caepit, sicut Regni, ita paternae haeres crudelitatis. Cum itaque Joseph cum Puero, et Matre ejus duobus annis circiter in Aegypto mansisset, audito de Herodis morte nuncio, rediit in Palaestinam: timens tamen Archelai crudelitatem, in partes Galilaeae Angeli monitu discedens, in Civitate Nazareth habitavit (*Matth. II.* 22. 23.). De Christi gestis ante Baptismum plerumque Evangelistae silent. Multa autem, eaque inepta, de ejus infantia ab impostoribus conficta sunt (14).

annis ibi nascebantur, a decem ad viginti usque computari posset: cum vero nonnisi a bimatu, et infra trucidati fuerint, probabile non est, sublatis iis parvulis, qui morbis confecti sunt, plures quam viginti parvulos tunc passos fuisse. Sicarii hoc efficere potuissent, nullo publico Edicto promulgato. Josephus vel factum ignoravit, vel putavit minoris esse momenti relate ad majorem crudelitatem ab Herode Hierosolymis manifestatam; ita habet Michaelis - Introduction to the New Testament - ab Herberto Marsh traduct. Lond. 1823. Vol. I. par. i. cap. ii. sect. xi. tam exiguo martyrum numero plene non assentior.

(13) Herodem M. mortuum fuisse an. U. C. 750. praesertim ex variis nummis demonstrat Sanclementius in opere jam citato de vulg. aer. emend. pag. 378. et seqq.

(14) E silentio Agiographorum Scriptorum occasionem nonnulli arripuerunt, apocryphis historiolis eas implendi lacunas, quae sunt in historia Christi. Sic in Apocrypho Evangelio *Infantiae* Thomae Apostolo adscripto habemus, Jesum quadam die Sabbati ludentem cum aliis pueris hebraeis, ex luto formasse passerculos numero duodecim, et ideo ab Josepho increpatum, quasi Sabbatum profanaret; Jesum vero ad passeres conversum dixisse, *ite volate, et avolaverunt passerculi.* Sic Christum Praeceptorem habuisse nomine Zacchaeum, qui eum docens literas, caepit a primo elemento Aleph; Jesum vero pronunciasse secundum elementum Beth, et Ghimel, reliquasque

§. V.

Christus a Joanne baptizatur.

—

Cum inciperet Christus esse annorum quasi XXX. (*Luc. III.* 23.) hoc est anno, ut arbitramur U. C. 779. XV. imperii Tiberii Caesaris, Christus ipse in lucem caepit prodire. Praedicans enim in Deserto Judaeae poenitentiam (*Matth. III.* 1.) Joannes Baptista Zachariae Sacerdotis filius (15), Messiae Praecursor, et

literas ad finem usque ei protulisse, et aperto libro docuisse Praeceptorem ipsum prophetas, ob quam rem pudore affectum Magistrum haesisse, nesciebat enim unde literas Jesus agnovisset, et domum reversum fuisse admiratione plenum, et stupefactum. Alia fabulosa leguntur in Evangelio *Infantiae* ex Arabico translato ab Henrico Sikio, de quibus Cotelerius; quaeque omnia collegit Jo. Albertus Fabricius libro inscripto - Codex Apocryphus Novi Testamenti - Amburgi 1719. ubi eruditissimorum virorum testimoniis, et censuris, Evangelia Infantiae Christi, Proto-Evangelium S. Jacobi Minoris, aliaque hujus generis scripta, apocrypha esse demonstrat. Cons. Calmetius in Dissertatione in Evangelia Apocrypha pag. 46. T. VII. opp. edit. Ven. 1732. a quo varia de Christi infantia ab auctoribus conficta exponuntur, prout in Evang. Apocryphis. Non defuere qui assererent Christum inter Essenos a tenera aetate educatum fuisse. Vid- Tinga - de J. Chr. doctore θεοδιδακτω minime Esseno - Gröningen 1805. Cf. etiam Joan. Nep. Hortis, - Manuale Historiae Ecclesiae Christianae. - Handbuch der Christlichen Kirchengeschicte T. I. Landshut 1826. Quaestionem agitat Deylingius de loco in quo Christus sedit inter Doctores in Hierosolymitano Templo, et putat sedisse in Atrio. p. 284. Observat. sacr. Part. III. Lipsiae 1739.

(15) Ex classe Abiae, et filius Elisabeth. De Joannis Baptistae nece vide Josephum Flavi. Antiqq. lib. xviii. c. 5. edit. cit. quod testimonium Origenes c. Celsum adduxit lib. 1. pag. 35. Joannem Baptistam in carcerem fuisse detrusum, antequam Herodis vinculis illigaretur, tenet Bernardus Lamy in - Traité historique de l'ancienne

in Jordane baptizans (16), Jesum ipsum ad eum accedentem, quamvis ob reverentiam, invitus, baptizavit; (*Matth. III.* 14.) cumque aperti fuissent caeli, et Spiritu Dei sicut columba descenso, audita vox fuit dicens = *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui* = (*Ibid.* 17.) Hisce peractis, desertum adivit locum, ibique cum quadraginta diebus, et quadraginta noctibus jejunasset, Diaboli insidiis supe-

Paque des Juifs - Paris. 1693. Oppositum habet, et defendit Salomon Van Till in Comment. et dissert. Philol. Theol. T. III. Lugduni Batav. 1744. in diss. *de Johannis Baptistae Incarceratione fictitia Herodiana vincula antecedente* p. 38. ubi contra Lamyum asserit de hac anteriori incarceratione Baptistae, historiam profanam, aeque ac sacram tacere, omniaque conjecturis inniti. Quoad carcerem, et supplicium Joannis Baptistae, videantur geminae diss. Christophori Cellarii. Halae Magdeburgicae 1703.

(16) Quidam volunt Joannem Baptistam Orientalium judaeorum ritum fuisse sequutum in baptismo conferendo, sicque voluisse, ut Judaei purioribus Religionis ideis informarentur. Inter Judaeos enim jam ante Christum Proselytorum baptismum viguisse forsan, ut dicunt, ab ethnicis gentibus mutuatum, dum religionis candidatos initiabant. Herodotus sane lib. ii. hist. cap. xxxvii. pag. 104. Genevae 1618. hanc consuetudinem apud Aegyptios confirmat. Huiusmodi mos viguit in Persia. Vid. Exod. c. xxix. v. 4. Vid. de baptismo Proselytorum diss. Joh. Andr. Danz, extat Tom. XXII. Thes. antiq. sacr. pag. DCCCLXXXII. Venet. 1759; eadem extat etiam in N. T. ex Talmude, et antiq. Hebr. illustrato, edito a Johanne Gerhardo Meuschen pag. 233. Lipsiae 1736. De Joanne Baptista, ubi et de voce βαπτὶζεϑαι apud profanos vid. diss. Academ. Christophori Cellarii in summam redactae a Georgio Walchio pagg. 171. 177. Lipsiae 1712. De Baptismate in Spiritu S. et igni vid. Commentarius sacer Philologico-Criticus Casti Innocentii Ansaldi O. P. Mediol. 1752. Tandem de tribus baptismatum generibus, quae in sacris literis inveniuntur, de Baptismate scilicet Judaeorum, Joannis Baptistae, et Jesu Christi videatur dissertatio Calmetii Evangelio S. Marci praefixa pag. 285. T. VII. opp. edit. Ven. 1732.

ratis, ab Angelis refectus, in Galilaeam secedens, relictoque Nazareth, in Capharnaum maritima habitavit, atque exinde praedicare caepit paenitentiam. (*Matth. IV.*)

§. VI.

Status Religionis apud Judaeos.

—

Corrupta (17) erat id temporis Religio Judaeorum, qui etsi aliis gentibus longius progressi in iis, quae ad Dei cultum referuntur, variis tamen neque sane exiguis errorum tenebris detinebantur. Libros Moysis magno in honore habentes, veterum Institutorum observantissimi, Reparatorem non quem Prophetae indigitarunt, procul dubio praestolabantur, religione denique tota ad ritus et caeremonias Moysis, quae nunquam in eorum sententia desuefierent, revocata.

(17) De statu Reipublicae apud Judaeos, deque eorum religione tempore Christi vid. Mamachius T. I. Orig. et Antiqq. Christ. lib. ii. c. i. §§. 1. 3. et seqq. Romae 1749., ubi. de religione Romanorum disseritur, nec non de religione apud Graecos Philosophos, apud Egyptios, Persas, et Populos septemtrionales. Cf. J. M. Jost - Geschichte der Israeliten seit der Zeit der Maccabäer bis auf unsre Tage. Berlin 1820. i. e. Historia Israelitarum post tempora Machabaeorum usque ad nostros dies - De forma Reipublicae Judaeorum videri potest diss. Nicolai Rolandi Borup Scano ext. T. II. Syntagm. Diss. Collect. ab Henric. Benzelio pag. 65. Francofurti, et Lipsiae 1745.

§. VII.

Sectae Judaeorum.

At res quotidie ingravescebant, siquidem ab interpretibus Divinae Scripturae in varias magni ponderis sententias abitum sit: unde infausta contentionum, et turbarum propago. Ut Herodiani, et Hemerobaptistae omittantur, tria statim se offerunt Judaeorum genera Pharisaeorum, Sadducaeorum, tertium, qui modo Esseni, modo Essaei dicti sunt (18).

(18) De Sectis Pharisaeorum, Sadducaeorum, Hesseniorum, Herodianorum vid. Calmetius in diss. quae extat T. II. Proleg. et diss. in s. Script. libros pagg. 80. 86. 89. 92. Lucae 1729. cf. etiam dissertatio praefixa Evang. S. Marci T. VII. opp. Calmetii pag. 273. edit. Ven. 1732. De sectae Pharisaeorum origine vid. Frid. Leop. Comes de Stolberg in op. - Geschichte der Religion Jes. Chris. pag. 465. edit. Vindob. et Hamburg. 1817-1818. De iisdem sectis, et de Proselytis Nasiraeis, Rechabitis, Scribis vid. Joannes Leusden in praecipuis diss. ext. in lib. inscripto - Philologus Hebraeo-mixtus - pagg. 126. 133. 137. 157. 142. 149. 153. 154. Vid. Joh. Lightfoot Vol. II. opp. Ultrajecti 1699. Tandem vide binas dissertationes - *de fictis Judacorum, et Judaizantium haeresibus* - Jacobi Rhenferdii in opere Philologico pagg. 76. 125. Trajecti ad Rhenum 1722. et diss. Trihaeresium de Sadducaeis, Pharisaeis, et Essenis editam a Blasio Ugolino T. XXII. Thes. Antiq. Sacr. p. ij. ubi de ceteris sectis Judaeorum disseritur ab Schmidio, Henrico Opitio, L. A. Rechembergio, Samuele Barthelio, Joh. Drusio aliisque, praesertim in opere - Critici Sacri - T. VI. pag. 369 et seqq. Amstelaed. 1698. De quaestu autem, et de zelo Pharisaeorum cons. diss. Alexii Symmachi Mazochii ext. in T. III. Spicilegii Biblici pagg. 69. 72. edit. Neap. 1778. De Essenis vid. Bellermann - Geschichtliche Nachrichten aus dem Alterthnme über Essäer und Therapeuten. Berlin. 1821.

Pharisaei prae caeteris spectabiles aliam quamdam legem non scriptam excogitarunt, qua scriptam perverterent, multaque in hujus legis explicatione perversa disputarent: exquisitas sibi religionis, ac virtutis laudes, ceteris omnibus contemptum parabant. Sadducaei e contra, quae Moyses non indixisset, respuere, angelorum existentiam, animae humanae immortalitatem inter inania hominum somnia referre; sontes durissimis judiciis, et morte omnino mulctare, immanes, rabidi, seditiosi, qui cum in multis ad Epicureorum placita accederent, tamquam grex Epicureorum a Pharisaeis exprobrati sunt. Arctissimum quidem vitae genus praeseferebant Esseni; castigatis gravibusque moribus spectabiles, et Moderatoribus sibi praestitutis obsequentes: sed in multis, cum Pharisaeis convenientes, utramque legem scriptam, et traditam retineri oportere dicebant, et in utriusque legis explicatione, allegoriae studiis magnopere delectabantur. Samaritani tandem segregati a Judaeorum gente, cum rudes magnopere essent in rebus divinis, Idololatriam Judaeorum placitis addentes, deteriorem quam illi Religionem sectabantur. In hoc tamen praecellebant, quod Christum caelesti prorsus magisterio minime vero regnis, aut militari virtute ornatum susciperent.

§. VIII.

Christi Praedicatio.

Ita comparati erant Judaeorum animi, cum caelestis Magister doctrinam suam evulgare caepit, et ex nonnullis jam in disciplinam traditis, duodecim praelegit Apostolorum nomine designatos (19),

(19) Magno in errore versari nos, existimat Karolus Dupuis dum credimus Apostolos a Christo electos fuisse ad praedicandum Evangelium. Docuit enim Dupuis in opere inscripto. - Origine de tous les cultes etc. a Paris l'an. III. de la Republique - et in ejusdem operis Epitome, Christum nunquam extitisse; utque hanc opinionem narrationi Evangelicae aptaret subjunxit, Christum fuisse Solem, et nostrae Religionis principes non Christum, sed Solem adorasse, ex illius temporis consuetudine. Afferrem adversus hunc auctorem Acta Pilati ad Tiberium Caes. missa, de quibus Justinus Martyr in apolog. I. n. 35. p. 65. n. 48. p. 72. edit. Maur. (Prudentis Maran) Paris. 1742., et Tertullianus in Apologet., ubi de Christo inter Deos cooptando. c. 5. p. 57. c. 21. p. 210. edit. Havercampi Lugd. Batav. 1718, quorum auctoritatem defendunt Huetius, Pearsonius, Tillemontius, Jo. Alb. Fabricius aliique, quos adnumerat Tobias Eckhardus in op. - Non Christianorum de Christo testimonia - nec non Theodorus Hasaeus - *de decreto Tiberii* etc. Eufordiae 1715., et Jac. Christ. Iselin - Lettre sur le projet de Tibere de mettre N. S. Jesus Christ, au nombre des Dieux de Rome - ext. Tom. XXXII. *de la Biblioth. Germanique* pag. 147. et Tom. XXXIII. pag. 12. Amsterdam 1720-1740. Cf. Henke - de Pilati Actis Probabilia - Helmst. 1784. Opusc. Acad. Lips. 1802. p. 199. - Indubium autem est certissimis argumentis haud inniti eorum sententiam, qui Tertulliano fidem omnem in re denegandam esse dicunt. Ast cum plenissime nondum res eliquata videatur, ut erui potest ex iis, quae opponit Tanaquillus Faber epist. XII. L. 2. pag. 33. edit. Salmurii 1674. Antonius Van-dale in diss. de Actis Pilati addita ad L. 2. de Oraculis vet. Ethn. Amstelaedami 1700,

ut divinae missionis per totum Orbem testimonium praeberent. Hi erant Simon, totius Ecclesiae caput postea futurus, ac proinde cognomento Petri donatus; Andreas germanus Petri frater (*Matth. IV.* 18.)

Sigebertus Havercampius in adnot. ad cap. V. Apologet. Tertulliani pag. 57. Lugd. Batav. 1718. Samuel Basnagius in Annal. ad ann. 33. §§. cxci–ad fin. pag. 433. T. I. Roterodami 1706.; Joannes Clericus, et alii; ita adversus impudentissimum Dupuis illud opponimus percelebre testimonium Josephi Flavii L. 18. antiq. Jud. c. 3. n. 3. p. 876. T. I. edit. Havercampi Amstelaedami 1726. Quod testimonium ineptissime fingunt in Josephi opera fraudolenter intrusum Tanaquillus Faber L. 1. ep. 44. p. 125. edit. cit. Blondellus in ep. ad Christ. Arnoldum ext. pag. 259. T. II. opp. Josephi edit. cit., Clericus in arte crit.; Simonius T. II. Bibl. Crit. Dixi ineptissime fingunt; stylus enim, dicendi ratio, codicum antiquissimorum consensus, aliique characteres critici abunde illius genuinitatem demonstrant. Vid. Carolus Daubuz – Pro testimonio Flavii Josephi de Jesu Christo libri duo . . . cum praefatione Ernesti Grabe – ext. T. II. oper. Josephi edit. cit. – Opponimus contra Dupuis Tacitum in Ann. L. 15. c. 44. – *Auctor nominis ejus Christus qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat* – Adde Celsum apud Origenem, Lucianum Samosatenum Epicureorum placitis imbutum, in lib. de morte Peregrini ext. in ejus operib. edit. Amstelaedami 1687., Porphirium Philosoph. Platonicum apud Euseb. Dem. Evang., Julianum Apostatam Imp., qui omnes vel ob scientiam, vel ob ingenium, vel tandem ob odium in Christianos, in re nostra fide dignissimi sunt. Mitto Evangelistas, de quorum auctoritate et fide dubitari nequit. Nemo ante Hubertum Gifanium J. C. testimonium Josephi impugnare ausus est: cf. epistola Sebastiani Lopusculi ad Severinum Ertzbergium data Basileae die 24. Feb. an. 1559. ext. in Centuria Epistolar. Philologicar. Goldasti N. 61. Inter recentiores vero suppositum illud credit Eichstaedt in op. – Flaviani de J. Christo testimonii αυθεντια quo jure nuper defensa sit – Quaest. III. Jenae 1813. Cf. autem pro Authentia Appendix C. G. Bretschneider

Jacobus, et Joannes Filii Zebedaei (*ibid.* 21.), Philippus, Bartholomaeus, Thomas, Matthaeus, Jacobus Alphaei, Thaddaeus, Simon Chananaeus, et Judas Iscariotes (*Matth.x.* 3.4.): quibus omnibus praeivit vel ipse Christus in Divini verbi praedicatione (20).

super Josephi de J. C. testimonio in calce capit. Theolog. Jud. Dogm. a Fl. Josephi scriptis collect. p. 59. Lipsiae 1812., nec non Böhmert Theol. candid. - Ueber des Flav. Joseph. Zeugniss von Christo. - Leipzig 1823. i. e. super testim. Josephi Flav. de Christo: Tandem Josephi Flavii, Svetonii, Taciti, Plinii Jun., aliorumque non Christianorum testimonia recensuit Nath. Lardnerus in opere - Collection of the Jewish and Heathen testimonie, of the Christ. relig. Lond. 1764-67.

(20) De Apostolorum origine, et Patria, de LXX. Christi discipulis, nec non de ceteris ad Christum pertinentibus vid. Baronius ad an. XXXIII n. XL. pag. 113. T. I. edit. cit. Combefisius ad Hyppolitum de XII. Apost. Binius ad Dorotheum de XII. Apost. T. VII. Bibl. PP. Consull. Notae in chronico Pasch. pag. 440. ext. T. IV. Biblioth. Byzant. Venet. 1729. in quibus vero plura fabulosa narrantur. Vid. Jo. Lami in lib. de eruditione Apostolorum Florentiae 1738. et alt. edit. cum addit. ibid. 1766. Apostolos, et Christi discipulos humiles fuisse, et de plebe viros nemo denegare audet. Legatur ep. I. Pauli ad Corinth. v. 26. Arnobius l. 1. adv. Gentes. Eusebius Caes., aut quicunque auctor sit lib. ii. de Resurrect. et Ascens. Domini edit. ab Jac. Sirmondo. Jo. Chrysostomus Hom. III. in 1. ad Corinth. n. 5., a quo vocantur Apostoli INDOCTI, ILLITERATI, PAUPERES, VILES, et OBSCURI. καὶ οταν ειπωσιν εκεινοι, οτι αγροικοι ησαν οι ἀποστολοι, προσθωμεν ημεις, και ειπωμεν, οτι και αμαθεις, και αγραμματοι, και πενητες καὶ ευτελεις, και ασυνετοι, και αφανεις· ουκ εστι βλασφημια των ἀποστολων ταυτα, αλλα καὶ δοξα το τους τοιουτους της οικουμενης πασης λαμπροτεροις φανηναι - Et cum dixerint illi (*Gracci*) agrestes fuisse Apostolos, nos addamus etiam fuisse indoctos, illiteratos, pauperes, viles, et obscuros. Non sunt haec maledicta Apostolis illata, sed ad illorum gloriam cedit, quod tales cum essent, toto orbe terrarum fuerint clariores - S. Joa. Chrys. l. c. pag. 20. in fine, edit. Maur. Paris. 1732. Tom. X. Opp.

Quot annos id ipse praestiterit incertum est; videtur tamen ultra tres, et hoc intervallo vix credi potest, quae adversa, quae aspera, quae intollerabilia, praesertim in Palaestinae peregrinatione oppetiverit, atque sustulerit, hac una mercede sanctissimae, divinaeque institutionis a pertinacibus Judaeis recepta. Porro ad veritatem doctrinae, non expleta vaticinia solummodo, non prodigiorum virtus (21)

Augustinus in ep. ad Volusianum; lib. xviii. de C. D. c. 49. lib. xxii. c. 5. de Christi Resurrectione, et ad Caelum ascensione ab Apostolis praedicata. Quae tamen hucusque allata minime demonstrant, omnes Christi asseclas, et Apostolos, quotquot erant, e plebis gremio fuisse, perditissimam tantum, atque infimam populi faecem Christo nomen dedisse, sicut Freretus dicere non erubuit eo solum, ut Christi, et Apostolorum miracula aliquo modo infirmaret, et Catholicam Religionem turpi colore depingeret. Primo enim, ut optime observavit Spedalierius (*Analisi dell' Esame critico del Sig. Nicola Freret. Assisi* 1791) Freretus putat, nos qui nostris deambulamus pedibus, non meliori gaudere ingenio eorum, qui in curribus per urbes vagantur, et cursitant, quorum equis nos pedestres obruimur, quasi divitum essentialis character esset sapientia, pauperum ignorantia; e contra S. Cyrillus adversus Julianum ajebat, inter homines plebejos facillime Philosophos non vulgaris nominis adinveniri. Consul. Spedalierius sup. cit. c. 7. pag. 224. §. 6. Falsum deinde est, quod in re asserit Freretus, ut evincitur ex ipsa D. Pauli ep. 1. ad Corinth. c. 1., ex homilia V. in eamd. ep. Pauli, Joannis Chrysostomi, ex Niceta Heracleensi ad superiora Pauli verba, ex Lucae Act. c. VIII., et X., ex Joannis cap. III. et XIX., ex Act. Apost. c. V. VI. XVIII., et D. Pauli epist. ad Phil. c. IV. v. 22.

(21) De Miraculis a Christo patratis, vide omnes Catholicae Religionis Apologistas. Ethnici, et Judaei praesertim, miracula Christi daemonum praestigiis tribuebant, quasi magica virtute polleret Christus. Vid. Matth. Evang. c. XII. vv. 24, et seq.; Lucae cap. XI: v. 15. Vide Celsum ap. Originem L. 1. n. vi. p. 324., et n. xxvi. p. 344.,

in propatulo omnium clarescens, magni ponderis erant, sed quod maxime interest, mirabile prorsus, et a caelo deductum omnium virtutum exemplar in doctore ipso effulgens. Hinc fama in singulos dies longe, lateque percrebescens, innumeros corporis valetudinem, mentis pabulum expectantes ad Medicum, et Magistrum undique pertrahebat (22).

n. xxxviii. p. 356., n. lxviii. pag. 382. Cons. Caspar Barthius in Adversariis lib. x. c. vi. Vide Spedalierium in confutatione c. Freretum jam cit. Tandem aegrotos a Christo sanatos, arte medica incurabiles fuisse, satis demonstrat Guillelmus Ader Medicus, in enarrationibus quae extant T. VI. *Criticor. sacror.* p. 531. Amstel. 1698.

(22) Ut hanc rem probent nonnulli afferunt Historiam Abgari Reguli Edessenorum; et Abgari Epistolam ad Christum, et Christi ad Abgarum; v. Eusebius Pamph. L. 1. Hist. Eccl. c. 13.; verum de harum epistolarum authentia, et auctoritate, magna inter criticos Historicosque dissensio est; supposititias esse, recentiores critici plene demonstrant. Cf. Mamach. Tom. I. orig. et antiqq. Christ. pag. 300. Joh. Hoornbeekius in Miscellanea sacra. Ultrajecti 1676. Gerardus Casteel Can. Reg. in Controversiis Eccl. Hist. Controversia V. p. 39. Coloniae Agrippinae 1757. Vid. Hist. Armen. Mosis Choronensis lib. ii. p. 132. et seq. Londini 1736. ubi epistolae s. c. armenice, et latine referuntur. Syriaca lingua hanc epistolam fuisse scriptam, et in graecam primum translatam ab Eusebio, sunt qui dicunt: attamen quaestio est, qua lingua Christus, et Apostoli loquerentur; fuisse Hellenisticam, defendit Dominicus Diodati in exercit. – De Christo Graece loquente – Neap. 1767. Hanc opinionem impugnat Jo. Bernardus De Rossi in – *dissertazioni della lingua propria di Cristo* – *Parma* 1772. Latine Christum loquutum putat Harduinus; alii vero Syriace, vel Syro-Chaldaice. Vid. Frassen disquisit. bibl. de edit. syr. T. I., Walton in App. Bibl. Proleg. XIII. §. 5. pag. 88. T. I. Londini 1657. – Gutbirius, Martinius, Tremellius, Widmanstadius, qui primus in Europa N. T. syriacum edidit.

§. IX.

Pharisaeorum de Christo occidendo consilium.

Praedicatio inauditae doctrinae, spectabili cum morum suavitate conjuncta, Christum in summam Pharisaeorum (23), aliorumque Principum populi invidiam adduxit. Nihil in nefario hujusmodi consilio obscurum erat Domino, cujus oculis omnia nuda, et aperta sunt: unde eorum insidias saepe saepius eludere, protervam petulantiam corripere, tenebricosissimos mores detegere, et redarguere, divinam prodigiorum suorum virtutem, ab inverecundis, putidisque calumniis vindicare solebat. Sed ubi ad extrema ventum est, discipulos praemonuit, jam tempus adesse quo Hierosolymam se conferre, graviora pati, mortem oppetere, et post triduum a mortuis victor mortis excitari deberet. Idcirco cum immineret Pascha (24), et Hierosolymam ad solem-

(23) De Pharisaeis vid. nota de sectis Judaeorum pag. 13.

(24) Chaldaei solent vocum suarum fini literam א addere, aliasque vocales substituere; unde vocem פסח Pesach mutant in פסחא Pischa, aut Pascha; ita legimus in paraphrasibus Onkelosi, et Jonathae, quam formam sequuntur LXX. Interpretes, et PH in P mutata scribunt πασχα, etsi aliquando scribant φασεκ, quae vox proxime accedit ad פסח pesach. Hoc in versione tantum Paralipomenon, cujus libri interpretem fuisse Theodotionem, non sine ratione nonnulli eruditi suspicantur. Quare vox πασχα minime a verbo graeco πασχειν deduceretur, ut aliqui asserunt, quasi τȣ σωτήριȣ πάθȣς ὄνομα τȣ̃το εἶναι νομίσαντες salutaris passionis nomen, id esse existimantes, ut ait Gregorius Nazianzenus serm. XLII.

nia undequaque concurreretur, urbem illam introivit, maxima circumfluentium frequentia, qui viam progredienti aperirent. Paschate rite celebrato (25),

(25) Christum Pascha celebrasse testantur Evangelistae. Hoc festum celebrasse eodem die, quo Judaei, tenent fere omnes Catholici, praesertim D. Thomas Aquinas, Tostatus, Franciscus Toletus, Bellarminus, Baronius, Cornelius a Lapide; inter Reformatos, et Protestantes Hugo Broughtonus, Jo. Cloppeneurgius, Bochartus, Lightfootus, Burmannus, Bynaeus, Dannhaverus, Brochmandus, Wolfius, aliique auctoritate suffulti Matth. XXVI. 2. Marc. XIV. 12. 14., ubi Christus loquitur de Paschate, tamquam de re omnibus nota. Legantur etiam verba Marci XIV. 16. 18. Matth. XXVI. 18. 21. Lucae XXII. 15. 16. Grotius aliquos veteres secutus, voluit Christum non Pascha θύσιμον *solemne*, *plenum*, in quo agnus mactabatur, comedisse, sed μνημονευτικόν celebrasse πασχα, scilicet μνημονεευτικον, quod liberationem Aegyptiacam recoleret, ita ut post eversam Hierosolymam, et Templi destructionem Hebraei absque agno, et sacrificio, illius liberationis in sacro epulo, veluti in umbra, memoriam celebrarent. Haec habet Grotius ad Matth. XXVI. 18. Oppositam defendit sententiam inter alios Antonius Bynaeus, T. I. de Morte Christi lib. i. c. i. §. 25. p. 39. Amstel. 1691. Quare quaestionem nonnulli agitant an, et quando Christus Pascha *legale* celebraverit, idest an et quando Christus Agnum Paschalem comederit. Sunt enim qui putant, Christum in ultimo vitae suae anno, Pascha legale haud celebrasse, ut tenet Bernardus Lamy in – Traité historique de l'ancienne Paque des Juifs – a Paris 1693., quique demonstrat, ex hac sententia nullum trahi posse argumentum, quod vel adversetur Evangelistarum testimonio, vel aliquam in Ecclesiam novitatem introducat. E contra Christum celebrasse Pascha legale, immo die 14 Mensis primi Abib sive Nisan, et non diem legitimum antevertisse, ut aliis placet, inter ceteros defendit Gabriel Daniel e Societate Jesu in libello, cui titulus – Traduction du Systeme d' un Docteur Espagnol sur la derniere Paque de N. S. J. C. avec des reflexions sur ce systeme – Paris 1695. Vid. Antonius Cappellius in diss. de Caena Christi suprema. Paris. 1625., in qua concludit, Caenam Christi supremam fuisse Paschalem. Videatur etiam Controversia VI. de ultimo Christi Paschate D. Ge-

pluraque alia ad Dei gloriam, et ad aliorum salutem explevit, donec per insidias exceptus (26), in

rardi Casteel Can. Reg. in opere jam cit. ubi Christum et Pascha legale celebrasse, et eodem die, quo Hebraei, non sine ratione defendit. Laurentius Berti in Diss. Eccl. T. I. pag. 118. 119. Bassani 1769., nec non Jahn in opere - Biblische Archäologie: Par. I. §. 73. pag. 313. Wien 1805. ubi ultimam Jesu caenam, paschalem fuisse concludit. Diligenter Evangelistarum verba perpendenti apparebit, quod Apostoli Pascha legale celebraverint, et manducaverint, et *edentibus illis* Matth. XXVI. 21. idest agnum Paschalem, ut ex Lucae XXII. 7., *venit autem dies azymorum; in qua necesse erat occidi pascha* (*agnum*) Marc. XIV. 12. *et primo die azymorum quando Pascha immolabant* (*Agnum*), quare ex naturali verborum Evangelistarum sensu Apostolos comedisse agnum paschalem concludere fas est. Christum celebrasse Pascha legale cum Apostolis, et Agnum Paschalem manducasse in ultima Paschatis celebratione, conjicitur ex Marc. XIV. 14. - *ubi Pascha cum discipulis meis manducem* - ex Lucae XXII. 8. - dicens (Christus) *euntes parate nobis pascha*, ut *manducemus* - ceteris ad rem omissis. Igitur Apostoli quidem celebrarunt, et manducaverunt Pascha legale cum Christo eodem die, et tempore cum Judaeis; (Conf. Miscellanea Sacra Johannis Hoornbeekii pag. 381. Ultrajecti 1676.) dumque hoc festum legaliter celebrabatur, novum amoris pignus voluit exhibere Christus, quod in signo, et figura jam in agno paschali repraesentabatur, *et accepto pane gratias egit* etc. *accepto calice* etc., et sic instituit in ultima caena Eucharisticum sacramentum, maximum argumentum amoris Christi in homines; Cf. Calmetius in Diss. *De novissimo Paschate Domini Nostri J. C.* pag. 59. T. VII. Opp. edit. Ven. 1732.

(26) De suspendio Judae vid. Diatrib. Joh. Warneccii. Jenae 1661., extat etiam in al. cit. Thes. Phil. Ikenii T. II. p. 304. De pernicie, et casu Judae vidd. Exercitationes Academicae Jacobi Gronovii. Lugduni Batavorum 1683. ubi de hac re ad examen revocantur sententiae Isaaci Casauboni ad an. XIV, Ann. Bar., Danielis Heinsii, Hugonis Grotii, Salmasii, Pricaei, aliorumque, et concludit tandem Gronovius, Judam post laqueum non sepultum, sed in locum sceleratum abjectum fuisse, cadaveribus maleficiorum designatum. Vid. diss. Jac. Perizonii - De morte Judae, et de verbo Ἀπαγχεσθαι Trajecti ad Rhenum. 1776.

capitale crimen apud summum Judaeorum Pontificem vocatus est, perfrictae legis divinae: traductus deinde seditiosus veluti, ac perduellis ad Romanorum Procuratorem. Minime adduci hic poterat ut in Jesum, quem ab omni culpa abesse agnoscebat, paenam constitueret; constituit tamen, eamdemque capitis, dum a plebis clamitationibus, quas Sacerdotes suscitabant, magis quam ab ipsa juris auctoritate permoveretur (27). Qui itaque ad tollenda peccata, humanam naturam in divinae consortium assumpserat, turpissimo Crucis supplicio, omnique praedictionum veritate firmata, natura universa infremente, spiritum Patri prius commendatum, emisit, Anno U. C. 782. (28) Aerae V. 29. Coss. duobus Geminis, XVIII. Imperii Proconsularis Tiberii, et XV. ejus Imperii Augustalis, Festum Paschatis Judaeis celebrantibus (29).

(27) De ritu dimittendi reos in festo Paschatis v. diss. Joh. Conr. Hottingerii Tigurii 1718. in 8., extat etiam in Thes. j. c. Ikenii T. II. p. 352. De injusto Pilati judicio v. diss. Christiani Thomasii ob raritatem iterum excusa Lipsiae 1724. extat in Thes. Ikenii T. II. pag. 343. edit. cit. Pilatum injustissimum judicium de Christo emisisse plurimis rationibus demonstrat Wilelmus Goesius in libro *Pilatus Judex* Hagaecomitis 1677.

(28) Juxta Sanclementium a Palilibus proximis inchoando v. op. cit. p. 493.

(29) De anno Dominicae passionis videantur supracitati scriptores de anno Christi natalitio, et de ejus morte disserentes. Vid. supplem. ad Hist. Eccles. N. Alexandri p. ix. edit. cit., et Sanclementius in opere de vulgaris aerae emendatione jam cit. – Varias eruditissimas quaestiunculas, ad tempus passionis Dominicae spectantes, ad lo-

§. X.

Christi Resurrectio.

—

Jesu mortuo, quidam Joseph ab Arimathaea a Pilato Magistri corpus petiit, ut sepeliret, facta ei a Praeside potestate, involvit illud in sindone munda, et in monumento novo, quod in petra excide-

cum, ad crucem etc. etc. videre poteris in opere - De Morte Christi. - Antonii Bynaei Amstelaedami T. I. 1691. T. II. 1696. T. III. 1698. De Christi extra portam supplicio, ad illustr. epist. ad Hebraeos XIII, 12., vid. diss. Petri Zornii T. II. p. 193, Altonaviae 1731. De Christi sepulcro vid. exercitatio philologica Balthasaris Dorffer ext. T. XXXIII. Thes. Antiq. Ugolini pag. DCCCIV. De situ sepulcri D. N. J. C. vid. Scholz - Abhandlung über die Lage des Golgotha etc., ubi ostendit contra nonnullos inter recentiores scriptores, illum situm fuisse, ubi hodie est Ecclesia S. Sepulcri Hierosolymis. De Christi Sindone, de Sudario, fasciis sepulcralibus, aliisque lineis indumentis vid. diss. Alexii Symmachi Mazochii T. III. Spicilegii Biblici p. 89. Neap. 1778. De tenebris in morte Christi vid. Joannes Frickius in diss. Hist-Theol. Meletem. var. p. 511. Ulmae 1756. vid. Calmetius in diss. de tenebris in obitu Jesu Christi pag. 66. T. VII. opp. edit. Ven. 1732, ubi pag. 70. doctissimus Auctor ea, quae a Gentilibus de tenebris in morte Christi dicta sunt, producit et discutit. Phlegon Hadriani Imp. libertus, ut ap. Euseb. in chron. narrat. - *Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna, et excellens inter omnes quae ante eam acciderant, defectio solis est facta; dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ut stellae in caelo visae sint, terraeque motus in Bithynia Nicenae Urbis multas aedes subvertit* - Vid. Hierony. T. VIII. P. I. opp. edit. Vallarsii. Ven. 1769. pag. 649. in nota *a*. Cf. Nat. Alex. T. III. saec. I. diss. 2. prop. 2. p. 71. edit. Luc. 1749. De singularibus, ac mirandis quibusdam quae morte Christi in natura acciderunt, utrum a natura fuerint v. diss. Casp. Posneri. Jenae 1661., ext. etiam in Thes-Phil. Ikenii T. II. p. 369. De crucis supplicio, de variis crucium formis apud ve-

rat, reposuit, ingenti apposito saxo ad ostium illius monumenti (*Matth. xxvii.* 57-60). Verum Principes Sacerdotum, et Pharisaei timentes, ne Jesu corpus Discipuli furarentur (dixerat enim Christus *post tres dies* resurgam) a Pilato obtinuerunt Sepulchri custodes usque in diem tertium, et obsignato lapide abierunt (*Matth. xxvii.* 62-66). Christus autem tertia die, sicut praenunciaverat, resurrexit (30), mulie-

teres, in qua crucium forma Christus mortem tulerit, vid. Justus Lipsius in lib. - De Cruce libri tres - Romae 1595 c. fig. De Christi cruce, vino myrrhato, de corona spinea, de sudore sanguineo varias eruditiones proponit Thomas Bartholinius in op. De Cruce Christi. Amstel. 1670. leg. Calmetii diss. de Sudore Sanguinis Jesu Christi p. 377. T. VII. opp. ed. nup. cit. ubi nonnulla exponuntur, quae pertinent ad veritatem hujus historiae, et ad possibilitatem; rationes dantur cur haec historia in variis codicibus desideretur, praesertim in MSS. Alex. Bodl. Cod. Leicestr. Copht. Paris. De imaginibus Jesu Christi vidd. exercitationes M. Joh. Reiskii. Jenae 1685., Christi lictores, atque carnifices fuisse Bruttios, seu Bruttianos tenet Fr. Jac. Hyacinthus Serry in op. Exercitationes Historicae Criticae Polemicae de Christo, ejusque Virgine Matre. Venetiis 1719. Exercit. 56. n. 6. p. 390. Quam opinionem impugnat Fr. Joseph Maria Perimezzi in diss. de Natione Tortorum Christi; Romae 1727. De tunica Christi adest -Dissertation sur la sainte Tunique de Notre Seigneur J. C., qui est conservée dans le Prieuré d'Argenteuil. Par M. Gabriel de Gaumont a Paris 1667. De Sudario extat Historia quaedam a Jacobo Langellé O. S. Benedicti Cong. S. Mauri exarata, cui titulus - Histoire du S. Suaire de Compiegne - a Paris 1684.

(30) Scriptores pro veritate resurrectionis Christi pugnantes indicat Joann. Albertus Fabricius, tum in delectu Argumentorum pro veritate Religionis C. 44., tum in salutari luce Evang. p. 184. Hamburgi 1731. Cf. Thom. Scherlockius - The tryal of the Witnesses of the resurrection of Jesus - Lond. 1729. 8. i. e. *causa testium Resurrectionis Jesu.* Vere Christum resurrexisse inter recentiores egre-

ribus primum apparens, deinde discipulis; quibus omnibus caelestem infundens doctrinam, post quadraginta dies a resurrectione, in caelum ascendit (31). (*Act. Ap. 1.*)

§. XI.

Acta Pilati.

Provinciarum Rectores ex veteri consuetudine de eventibus ditionis suae Imperatorem, sive etiam Senatum certiores faciebant, ideoque Pilatus Christi mortem cum suis adjunctis Tiberio Caesari significavit. Hisce aliisque a Jesu in Palaestina perpetratis, a Tiberio optime cognitis, Senatui statim proposuisse dicitur, ut Christus in Deorum numerum referretur. Ajunt etiam, graviter hoc accepisse Patres, quippe qui nihil de integro hominum consecrandorum jure, atque exercitio amittere, vel paullulum imminuere vellent; neque tamen inde dimotum a sua sententia Imperatorem, paenasque

gie demonstrat J. D. Michaëlis in lib. inscripto - Erklärung des Begräbniss und Auferstehungsgeschichte. Halle 1783 i. e. - expositio historiae sepulturae, et Resurrectionis -, ubi fortiter impugnat sententiam auctoris duorum fragmentorum Guelpherbytanorum de historia Resurrectionis, et de scopo Jesu ac discipulorum, asserentis Jesu Christi corpus clam ad furandum venisse discipulos. Monumenta Resurrectionis Domini illustravit, ac a suppositionis nota vindicavit Frid. Leop. Comes de Stolberg P. V. Hist. Relig. Jes. Chr. Vindobonae 1817.

(31) Vid. diss. posthum. Petri *Zornii* - De Christo, sublatis manibus discipulis suis benedicente, et inter benedicendum ab eis discedente, et in Caelum sublato. - Extat T. VI. Miscell. Lipsien. P. I.

interminatum esse iis omnibus, qui Christi discipulos, et asseclas in judicium adducere conarentur. Et quamvis hanc Tiberii voluntatem inficientur nonnulli, et qui de ea mentionem contra Religionis osores fecerunt, Justinum et Tertullianum commentitiis testimoniis inductos credant; non ea tamen proferunt, quae rei a ceteris etiam Christianis enarratae a nullo antea dubitanter receptae, fidem detrahere, nostra quidem sententia, possint, aut debeant (32).

(32) Pilatum epistolam misisse ad Tiberium Imperatorem, narrat primum Tertullianus in Apolog. - *Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia Christianus Caesari tum Tiberio nunciavit* - Aegesippus in hist. de Excidio Hierosol., Orosius lib. xvii. ad Aug. c. 4. Legitur haec epistola inter Orthodoxographa, vel monumenta Patrum; extat etiam ad calcem *Epistolae Rabbi Samuelis Israelitae* translatae ex Arabico in latinum per Fr. Alphonsum Hispanum O. P. Vindobonae 1780. Fieri potuit, ut Pilatus tamquam provinciae Romanae Praeses Imperatorem certiorem fecerit de Christi morte, deque ejus gestis. Adest quedam epistola Lentuli Hierosolymitanorum Praesidis ad S. P. Q. R. scripta, in qua Christi forma, et statura describitur, verum nullam meretur fidem, eo quod a veteribus ignorata. Vid. Nota hujus (N. 19.)

CAPUT II.

DE PROPAGATIONE CHRISTIANÆ RELIGIONIS.

§. I.

Spiritus Sanctus super Apostolos.

—

Posteaquam Christus ad supernas sedes suas evolasset, et pro Juda, qui laqueo vitam sibi eripuerat Matthias (33) in Apostolorum societatem substitutus esset, (*Act. Ap. I.* 26.) Spiritus Sanctus in Apostolos omnigena praedicandi virtute imbuendos, cum essent omnes in eodem loco, descendit (*Act. II.*) (34). Mirum dictu quo spiritu, qua alacritate, quo insueto ardore homines illi, ignorantia, ac ruditate exuta excitarentur: in qua stupenda donorum effusione ipsam superat admirationem impertita linguarum scientia (35).

(33) Vid. Disputatio de Matthia *rite vocato* Joann. Scharfii Vitembergae 1652. et diss. Joann. Georgii Bittelmajeri *de Matthia sorte ad Apostolatum electo* Vitembergae 1676. Vid. Calmetius T. VII. pag. 664. edit. venet. 1732. De ejus Apostolatu in Illyria cf. Farlati T. I. Illyrici Sacri Prolegom. P. III.

(34) De Mìraculo Pentecostali expenso, et vindicato adest dissertatio Joan. Christophori Harembergii in T. II. Thes. Theolog-Phil. Hasaei et Ikenii j. c. pag. 569, et seqq., in qua omnia, quae ad rem pertinent erudite examinantur.

(35) Act. Apost. II. 4. – *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto et coeperunt loqui* ετεραις γλωσσαις alienis linguis – cf. ep. I. ad

§. II.

Gentes ad Fidem Hierosolymis conversae.

—

Incredibilis tunc erat frequentia, et multitudo eorum, qui e finibus Parthorum, Medorum, Aelamitarum, Mesopotamiae, Cappadociae, Ponti, Asiae, aliarumque regionum, varii fere omnes sermone, et moribus Hierosolymam, Judaeae Caput ad Pentecosten recolendam confluxerant (36), qui, Apostolos humiles Galilaeos, naturae, atque eruditionis subsidiis expertes, et sui nihilominus uniuscujusque sermonis participes esse obstupescebant (37). Alloque-

Cor. XIV. 18. Vid. Sandinius in Histor. Apostolica pag. 30. Patavii 1744. Vidd. etiam Jo. Lami - De eruditione Apostolorum - C. xv. pag. 351. et seq. edit. Flor. 1738., et epistolae italico idiomate Venetiis editae adversus Lamium Francisci Antonii Zaccariae sub ementito nomine Atromi Traseomachii Calabri.

(36) De origiue Festi Pentecostis a Deo instituti vide Tractatum Joannis Meyeri de temporibus sacris, et festis diebus Hebraeorum C. xiii. ext. T. I. Thes. Antiq. Sacr. Ugolini pag. DCXIX. Caeremonias hujus festi apud Hebraeos breviter describit Joannes Lightfoot in Ministerio Templi, extat Tomo IX. ejusdem Thesauri Ugulini pag. DCCCCLJ.

(37) Apostolos non indiguisse linguarum dono ad Evangelium praedicandnm, cum lingua graeca et syro-chaldaea ipsis fuerit familiaris, falso tenet Dr. Ernesti in diss. ad I. Corinth. 14. in opusc. Theolog. Lipsiae 1773. Fabulantur insuper Eichhornius, Hezel, Meyer, Pistorius aliique, qui Apostolos minime Spiritu Sancto plenos credunt, sed ingentis strepitu venti commotos, raptosque fuisse non sine temeritate defendunt; contra hasce fabellas, potius quam opiniones leg. Specimen hermeneutico-Theologicum Adriani Christiaanse. Trajecti Batavorum 1801. Clemens in lib. 7. Inst. apud Eusebium H. E. l. ii. c. 1. p. 44. ed. cit. testatur Christum post resurrectionem scientiae donum Jacobo cognomento Justo, Joanni, et Petro fuisse imperti-

batur Populum Petrus Apostolorum Princeps, tamque flexanima oratione poenitentiam, et Baptismum suadebat, ut tria circiter hominum millia ad Christianam Religionem se se eodem die instituendos dederint (*Act. Ap. II. 41.*). In altera Petri praedicatione quinque millia hominum Christo nomen dederunt (*Act. Ap. IV. 4*), et brevi factum est, ut non tantum Hierosolymis, sed et in aliis locis Christi Religio infinitos propemodum Sectatores, jam Ethnicismo, et Judaismo addictos obtinuerit (38). Copiosa Hierosolymis peracta messe, Apostoli Jacobum cognomine Justum in Episcopum elegerunt, et Hierosolymitanae praefecerunt Ecclesiae (39). Vigebat apud Fideles ibi-

tum, quae scientia γνωσις dicta a Clemente ipso definitur, comprehensio praesentium, praeteritorum, et futurorum. lib. 6. Stromat.

(38) Quoad Petri, Pauli, ceterorumque Apostolorum praedicationem praeter Act. Apostolorum cf. Jo. Alb. Fabricius in *Salut. Luce Evang.* p. 95. – 113. Hamburgi 1731. Mamachius Orig. et Antiq. Christ. p. 315-338. T. I. Phil. Jac. Hartmannus – de Rebus gestis Christianorum sub Apostolis C. vii. p. 107. seqq. Tillemontius – Memoires pour servir a l'histoire Eccles. des six premiers siecles – p. 120- ad finem T. I. Paris. 1701. Sandini – Hist. Apost. edit. cit. Tandem Elenchum Scriptorum, qui Apostolorum praedicationem, gesta, et itinera recensuerunt, invenies apud Jo. Alb. Fabric. in salut. Luce Evang. j. c. pag. 64. De itineribus D. Pauli vid. diss. de amoenitate hist. Geogr. ex itineribus S. Pauli. Halae Magdeburgicae Typis Stegmanni. extat etiam in Thes. Antiq. Ugolini T. VII. p. MCLXXXIV.

(39) Adhuc agitatur a nonnullis eruditis quaestio, an Jacobus cognomento Justus fuerit idem, ac Jacobus minor. Affirmativam tenent sententiam Baronius, Petavius, Nat. Alex., aliique; negativam Henschenius, Stiltingus, Franc. Ant. Zaccaria in diss. de tribus Jacobis; ext. in lib. – Dissertationes latinae ejusdem Auct. – Fulginiae 1781. et Eusebius H. E. L. 2. p. 45. edit. Cantabrig. 1720.

dem consistentes, et Apostolica doctrina, et usus quotidianae orationis in templo.

§. III.

Progressus Religionis extra Judaeae fines.

Male autem hoc Pharisaei, et maligni Judaei perferebant (40), et in Stephanum, aliosque Christi asseclas irruentes, primum jactis lapidibus occiderunt (41), ceteros aut fugarunt, aut fugientes insequebantur, ut necarent. Omnes, exceptis Apostolis per regiones Judaeae, et Samariae dispersi Evangelium Dei praedicabant, atque ita Fidelium numerus in dies augebatur. In primis Philippi Diaconi historia digna est ut memoretur, qui cum Samariae praedicaret verbum Dei, Angelo monenti, ut Gazam adiret, statim obtemperavit, ibique illi se obtulit Eunuchus Reginae Candacis Aethiopus, Judaeorum assecla, quem cum et Christianae Religionis doctrina, et Baptismo instruxisset, in Azotum, Judaicae ditionis urbem, perrexit (42).

(40) De persecutionibus Hebraeorum in Christianos vid. Mamachius Orig. et Antiq. Chr. L. II. C. v. §. 3. p. 302. Jo. Alb. Fabricius - Salut. Lux Evang. C. VI p. 120. j. c. Legantur Act. Apostolorum IV. 18. 26. V. 18. 27. 34. 41. VI. 1. VII. 57. VIII. 1. IX. 1. XXII. XXVI.

(41) Vid. Act. Apost. C. VII. Eusebius H. E. p. 44. edit. j. c. Reading. Mamachius Orig. et Antiq. Chr. c. VI. §. III. lib. ii. p. 304.

(42) Act. VIII. 26. Eunuchus a Philippo baptizatus haud Ethnicus fuit, ut placuit Eusebio L. 2. Hist. Eccl. C. I. p. 46. edit. j. c.

§. IV.

Quanto tempore Hierosolymis morati fuerint Apostoli.

—

Statim post Christi Ascensionem ab Hierosolymis, Apostoli non discesserunt, quin immo per annos complures ibidem permanserunt; quae cum dicimus, eorum non probamus sententiam (43), asserentium, Apostolos ab Hierosolyma discessisse post duodecimum annum ab Ascensione Christi, quae sententia, licet suos habeat patronos, veterum nonnullorum auctoritate innixos, tamen cum Apostolorum historia ex Actibus Apostolorum praesertim petita, conciliari non posse videtur. Neque firmiorem tuentur sententiam qui putant, Apostolis designatas sortitione eas Provincias fuisse, ubi Apostolico munere fungerentur, antequam ad praedicandum Evangelium in Universum Mundum venirent. Nullus enim ante Rufinum hoc tradidit, neque unde Rufinus ipse id acceperit, scimus. Illud potius ultro li-

Reading. Falso Mamachius hanc sententiam tribuit Chrysostomo, cum hic aperte dicat Hom. X. in Matth. 7. 37. – Etsi tamen (Eunuchus) Judaeus erat – vidd. opp. S. Jo. Chr. p. 394. T. XII. edit. Maur. (Montfaucon) Paris. 1735. cf. Jo. Albertus Fabricius – Salut. Lux. Evang. pag. 708. edit. cit. quoad nomen, et cetera ad rem.

(43) Apollonii scilicet qui II. Ecclesiae Saeculo desinente floruit, aliorumque cf. Eusebius L. V. H. E. c. xviii. p. 236. edit. Cantab. G. Reading. ubi referuntur Apollonii verba – *Dominum scilicet Apostolis suis praecepisse ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent* – vid. Mamachius. Orig. et Antiq. Christ. L. ii. c. 6. pag. 311. in nota (1).

benterque asserimus Provinciarum divisionem, divino afflante Spiritu, peractam fuisse (44).

§. V.

Status Religionis inter Gentes.

Variis religionibus adstricti erant homines cum primum Evangelica veritas ad eos pervenit; apud omnes pluralitas deorum, qui differentes sexu muneribus, et imperio, varia cultus ratione, varia superstitionis turpitudine essent prosequendi. Ex cor-

(44) Eusebius lib. 3. c. 1. p. 87. edit. cit. Cantabrigiae 1720 ait. Θωμας μεν ως η παραδοσις περιεχει την Παρθιαν ειληχεν – Thomas quidem, ut a majoribus traditum accepimus, Parthiam sortitus est – Rufinus L. 1. Hist. Eccl. c. 9. pag. 20. 21. T. II. H. E. Eusebii per Thomam Cacciarium editae. Romae 1741. – In ea divisione Orbis terrae quae ad praedicandum verbum Dei sorte per Apostolos celebrata est, cum aliae aliis provinciae obvenissent, Thomae Parthia, et Matthaeo Aethiopia, eique adhaerens citerior India Bartholomaeo dicitur sorte decreta – Socrates Rufino consentit l. 1. c. 19. p. 49. edit. Guillelmi Reading Cantabrigiae 1720. -ηνικα οι Αποστολοι κληρω την εις τα εθνη πορειαν εποιουντο Θωμας μεν την Παρθων αποστολην υπεδεχετο Ματθαιος δε την Αιθιοπιαν Βαρθολομαιος δε εκληρουτο την συνημμενην ταυτη Ινδιαν – Cum Apostoli praedicationis causa ad Gentes profecturi, eas inter se sortito dividerent, Thomas quidem Parthiae, Matthaeus vero Aethiopiae Apostolatum sortitus est. Bartholomaeo India, quae Aethiopiae confinis est obtigit – Haec sententia non arrisit Baronio ad an. XLIV. n. 20. « potius Spiritu S. impellente hoc factum ex illis, quae a Luca refe« runtur licet colligere » ita Jo. Alber. Fabricius. Sal. Lux Evang. pagg. 94. 95. Quod ante Fabricium defendit etiam Basnagius in Ann. Polit. Eccl. pag. 560. T. I. Roterodami 1706.

rupta Religione corruptissimi mores (45), et quae continuo sectantur, innumera Reipublicae detrimenta. Philosophi quanquam praeclara nonnulla in superstitionem pro virtute dissererent, non ii tamen erant qui bello manufactis numinibus indicto, comunis invidiae pondus subire mallent (46). Adde innumeras de gravissimis rebus, reluctantesque sententias: adde beatitudinem, hinc in voluptate, illinc in externa virtutis specie quaesitam, philosophiam denique totam, ut ait Cicero, in ostentationem scientiae, non in legem vitae, et nihil demum quod crassis tenebris occultatum non fuerit, et circumfusum.

§. VI.

Fructus Apostolicae praedicationis inter Gentes.

—

In hac igitur ignorantiae, et vitiorum caligine demersas altius provincias, Apostoli ex jussu Christi peragrandas sibi praestituerunt, omnemque superat fidem, quot exantlatis laboribus, quot periculis aditis, quot cruciatibus ad saevissimam usque mortem fortiter tolleratis, rem Christianam

(45) Quoad Religionem Ethnicorum tempore Christi et Apostolorum cf. Mamachius Orig. etc. L. II. c. 2. §. 5. pag. 215.

(46) Idest nonnulli Philosophi tum Graeci, tum Romani, ut Socrates et Cicero, etsi ceteros aut nullius, vel certo falsae religionis asseclas fuisse dicamus, ut videre est apud Buddaeum in hist. Atheismi, et Raimannum.

provexerint, et per maximam Orbis partem ampliaverint. Immo ab ortu ad occasum Solis eo crevit multitudo fidelium, ut discipuli Apostolorum, et discipulorum Auditores, nullam ea aetate fuisse regionem asseruerint, Christi nomine notitiaque carentem (47). Et quamvis itinera Apostolorum omnia, primasque Ecclesiarum conditiones difficile ab altissima vetustate revocaveris (48), attamen plures in Actis, et Epistolis Apostolorum memorantur Ecclesiae in Syria, in Asia, in Macedonia, in Graecia, in Italia, et in quibusdam insulis per eosdem extructae, ex quibus nobilissimae habitae sunt Ecclesia Antiochena (49) in Syria, quo primum per-

(47) Ita Justinus in dialogo cum Tryphone dicere non dubitavit « Nullum enim omnino genus est sive Graecorum sive Barbaro-« rum sive quolibet nomine appellentur vel Hamaxobiorum, qui in « plaustris degnnt, vel Nomadum, qui domibus carent, vel Scenita-« rum, qui pecora pascentes habitant in Tentoriis, nullum inquam ejus-« modi genus est in quo non per nomen Crucifixi Jesu preces, et gra-« tiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant » in dial. cum Tryph. Judaeo p. 211. edit. Maur. Prudentis Maran. Paris. 1742.

(48) Loca et regiones ab Apostolis peragratas enumerat Jo. Alb. Fabricius. Sal. Lux Evang. p. 95. et seqq. et pag. 83. ordine alphabetico refert Ecclesias, quas ex scriptis Apostolicis constat ab Apostolis fuisse fundatas.

(49) Antiochensibus praedicasse Petrum Evangelium eruitur ex Act. XI. 20. ubi Christi sectatores primum Christiani sunt appellati. Vid. Mamachius Orig. etc. p. 7. T. I. Hieronymus in Chronico Eusebii ait « Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibique « Cathedram adeptus » T. VIII. Opp. S. Hier. Par. I. edit. Vallarsii Ven. 1769. p. 653. ad an. Chr. 38. et ad ann. 44. p. 660. legitur « Pe-« trus Apostolus, quum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset,

venit Christianorum nomen, Ephesina et Smirnaea in Asia, Alexandrina in Aegypto, Corinthia in Achaja, Thessalonicensis in Macedonia, et omnium insignior ac princeps, Romana in Italia. Propagata veluti per traducem christiana fide, et Apostolorum doctrina in plures alias Ecclesias, hisce quoque Apostolicarum nomen fuit.

§. VII.

In Neroniana Persecutione non deferbuit Christianorum animus.

—

Minime extinctus est cum Apostolorum morte, aut deferbuit Christianorum ardor in promovenda Religione, quidquid effutiverit Campegius Vitringa (50) de Fidelium populo Apostolis interemptis

« Romam proficiscitur ubi Evangelium praedicans XXV. annis ejus- « dem Urbis Episcopus perseverat » cf. etiam Mamachius Orig. et lib. II. c. 6. §. 2. pag. 315.

(50) Cap. 7. Observationum sacrarum pag. 961., et seqq. Jenae 1732.; ita enim habet pag. 962. et seq. « Nec tamen Ecclesia felicissimo hoc statu suo (Apostolorum) diu perstitit. Concussa primum persecutione Synedrii sub Cajo, et dein Herodiana sub Claudio . . . cum maxime sub ultima Neronis ab impuris quibusdam Pseudadelphis contaminata est, et de zelo ac fervore suo remittere caepit, multis, ut videtur, receptam fidem deserentibus, aliis ad errores prolapsis, variisque casibus fortuitis rem Christianam labefactantibus sub Vespasiano, Tito, et Domitiano », hanc suam opinionem confirmat Vitringa I.° Auctoritate Lactantii de mortibus persecutorum c. III. edit. de Bauldri p. 53. ajentis « Rescissis igitur Actis Tyranni non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est; sed etiam multo clarius ac floridius enituit. » II.° ex defectu Historiae temporis a Nerone ad Tra-

perterrefacto, et de imminuto usque ad Trajani aetatem illorum numero. Quid? si Plinius Bithy-

janum (triginta annorum spatium) quae memorabilis, ut ipse ait, esse deberet si Ecclesia per totum hoc tempus viguisset. III.° ex silentio Papiae, et Hegesippi, vel ex paucissimis eorum verbis ab Eusebio relatis quae nullam fidem merentur, IV.° ex auctoritate Dodwelli diss. in Irenaeum C. I. §. XLII. Haec habet Vitringa. Verum allata argumenta infirmissima sunt. Primo enim Lactantius multo Clariorem Ecclesiam dicit rescissis actis Domitiani, quia sic Christianis pace et tranquillitate restituta, in publicum prodire licuit, latiusque propagare Christi religionem eamque palam confiteri; non vero ut Christianam religionem propagatam primum fuisse post obitum Domitiani affirmaret. Quod si auctor de mortibus Persecutorum silentio praeteriit florentem Ecclesiae statum a Nerone ad Domitianum, sciat Adversarius auctoris scopum fuisse ea tantum narrandi, quae ab Imperatoribus Romanis impie gesta sunt adversus Christi asseclas. Cumque post Neronem, neque Vespasianus neque Titus ausi sint in nostros saevire, et Domitiano tantum tribuatur altera post Neronianam persecutio; ita silere debuit auctor de tempore inter Neronem et Domitianum. II.° Argumentum ex defectu historiae temporis a Nerone ad Trajanum cum nimis probet, nihil probare videtur. Quis enim sibi persuadeat, Apostolos, LXX discipulos, Diaconos ab Apostolis electos nihil egisse et laborasse ut propagarent Religionem Christi, ex eo quod praeter actus Apostolorum in quibus enarrantur Petri et Pauli, Stephani et Philippi Diaconi peregrinationes, de ceteris altum scriptores teneant silentium? insuper persecutiones excitatae nec sinebant scripto consignare progressus Religionis; si quae autem scripta extiterint injuria temporum facillime perire potuerunt; neque ex silentio Eusebii confirmare valet Vitringa suam hac de re sententiam. Plura enim omisit Eusebius ex. g. Athenagorae Apologiam, et librum de Resurrectione. III.° Papiae silentium, vel paucissima narrata, siquid valerent, concluderent a Tiberio ad Hadrianum non a Nerone ad Domitianum nihil praeclare gestum a Christianis fuisse. Sed quae literis mandarunt Clemens, Hermas, Hegesippus et Papias satis sunt, ut quis fuerit tunc temporis Ecclesiae status, plene dignoscatur IV.° Dodwelli auctoritas tanti facienda est, quanti faciendum judicium eorum qui mente praeoccupati non verum, sed libitum exponunt. Cff. Taci-

niae, et Tiberianus Palaestinae Proconsules id temporis scripserint, eam esse Christianorum multitudinem, ut desertis prope gentilibus templis, atque aris, magni discriminis fuisset in ingentem hominum copiam animadvertere (51).

§. VIII.

Progressus II. Saeculi.

—

Haec eadem a Scriptoribus Ecclesiasticis accepimus, atque in primis a Justino Martyre, medio II. Saeculo florente qui nullam hominum gentem agnovisse testatur (52), sive barbarorum, sive Grae-

tus. lib. xv. Annal. C. 44. Brutius vetus Chronographus ab Eusebio laudatus, qui scribit « anno XIII Domitiani multos Christianos fecisse martyrium » Plinius Bithyniae pro-praetor in Ep. ad Imp. Trajanum; ubi de multitudine Christianorum. Tiberianus in Ep. ad Trajanum, ubi de Christianis in Palaestina; apud Suidam v. Trajan. et apud Cotelerium T. II. PP. Apostolic; Clemens R. P. in 1. Ep. ad Corinth. ext. inter Epist. RR. PP. edit. Maur. (Coustant) T. I. pag. 12. Paris. 1721. et apud Cotelerium - Patres Apostolici - pag. 151. T. I. Amstelaedami 1724. et pag. 17. edit. Londin. 1687. Vid. Sancti Hermae Pastor ap. Cotelerium ed. cit. Justinus in Dialogo cum Tryphone p. 211. ut in n. nota (48) Irenaeus L. 3. contra Haereses edit. Maur. (Massuet) Paris. 1710 et Venet. 1734.

(51) Plinius ep. 97. ad Trajanum ait « Multi omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. Prope jam desolata templa caepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur ». ext. T. II. Patrum Apost. Cotelerii p. 182. Amstelaedami 1724.

(52) Recolantur ea quae in n. nota (47) de Justino attulimus.

corum, sive cujusque nominis, nullos vel extra tectum, vel in plaustris, ac tentoriis vitam agentes, inter quos supplicationes, et grates Parenti omnium Deo per crucifixum Jesum non referrentur. Haud secus Tertullianus, totam Ethnicorum dominationem Christianis, gente licet hesterna, refertissimam esse, adversus Religionis osores contendebat (53): tantum virtutis divino Christi nomini inerat, quae animos quantumvis praejudiciis, aut effrenatis affectibus abstractos ad suum imperium immutare valeret, ac flectere. Itaque Getulorum varietates, et Maurorum multos fines, Hispaniarum omnes terminos, et Galliarum diversas nationes, et Britannorum inacessa Romanis loca, et Sarmatarum, Dacorum, Germanorum, Scytharum, abditarumque multarum gentium, quae enumerari non possent, et quarum etiam ignota nomina, plena omnia esse Christianorum, omnibusque his in locis Christi nomen dominari, et recoli testabantur. (*Tert. adv. Judaeos loc. cit.*)

(53) Tertullianus Apologet. c. 37. p. 311. edit. Havercampi. j. c. « Hesterni sumus, ait, et vestra omnia implevimus, Urbes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum, sola vobis reliquimus templa » Cff. c. 1. Apologet., c. II. et c. V. ad Scap., ad Nationes 1.8., capp. VII. XII. adversus Judaeos et cap. XII. de corona militis.

§. IX.

Praedicatio Fidei in Osroene.

—

Quibus singillatim provinciis vel intra, vel extra Romani imperii fines faustissima haec Evangelii regeneratio saeculo II. obtigerit, certa omnino indicia desiderantur. Satis autem constat ex iis, quae attulimus, perillustres Ecclesias non modo totum fere Orientem sed Germanos, Hiberos, Celtas, Britannos eo tempore habuisse (54). Quae de Abgaro, et de ortu religionis nostrae in Edessa urbe Osroenae principe apud Eusebium (55), aliosque

(54) Irenaeus Lugdun. Ep. L. I. cap. X. contra haereses pag. 49. edit. Paris. Maur. ait « Neque hae quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Lybia, neque hae, quae in Medio Mundo Constitutae. » Vid. de orig. et propag. Relig. in Britannis Mamachius lib. I. II. de orig. et c. xxiv. pag. 291. edit. cit.

(55) Vid. Chronicon Edessenum in Bibliothe. Orient. Assemani T. I. pag. 389. Romae 1719. Eusebius « Iisdem temporibus quaecumque Salvator noster Osdroenorum Regi promiserat ad effectum perducta sunt. Thomas enim divino quodam motus afflatu Thaddaeum Christianae doctrinae praeconem et nuntium misit . . . Hic cum ad ea loca pervenisset, et Agbarum in Christi sanavit nomine et omnes ejus regionis incolas miraculorum novitate perculit . . . tandem salutaris doctrinae auditores reddidit. Abhinc universa Edessenorum civitas, quippe quae non vulgare Salvatoris nostri erga se benevolentiae indicium possideat, ejus nomini hactenus dicata permansit » Eus. H. E. L. II. p. 45. edit. j. c. Recolantur quae diximus de Epistola Abgari ad Christum et Christi ad hunc regem Edessenorum. in nota n.(22) cf. Hierony. in Matt. L. I. c. x. p. 57. T. VII. Par. I. edit. Vallarsii.

Scriptores leguntur, libenter sub judice linquimus cum praesertim nullum submoveri possit dubium de insigni Ecclesia, et de schola christianae institutionis, quae II. saeculo illic floruerunt.

§. X.

Apud Indos.

—

A Pantaeno Alexandrinae scholae Praefecto (56) christianam religionem Indi accepisse dicuntur, quorum denominatio cum pluribus tunc temporis conveniret, incertum ideo est, qui primum Evangelica luce fruerentur. Neque a vero abhorrere videtur Moshemius (*Hist. Eccl. Saec. II. Par. I. c.* 1. *pag.* 63. *edit. Helmstadii* 1764.) putans Indos per Pantaenum edoctos, quosdam fuisse Judaeos degentes in Arabia Felici, et a Bartholomaeo jam antea ad fidem instructos, cum Pantaenus, referente Hieronymo, nactus sit inter ipsos Matthaei Evangelium, quod Bartholomaeus unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, Hebraicis conscriptum literis reliquerat, quod quidem ad praedicta usque tempora servatum esse memoratur. *Ita Eusebius loco cit.*

(56) Primum Stoicae sectae Philosophus. Vid. Eusebius Hist. Eccl. L. v. c. x. de Pantaeno Philosopho p. 222. 23. edit. j. cit. Cantabrigiae 1720. Hieronymus in Catal. Scrip. Eccles. c. 36. col. 112. edit. Maur. Paris. 1706. et in edit. Vallarsii c. 36. de viris illustribus pag. 875. T. II. Par. II. et in ep. LXX. ad Magnum Oratorem Urbis Romae pag. 428. T. I. part I.

§. XI.

In Occidente, et in Italia praesertim.

Nec ob Apostolorum mortem ea pars quae ad occidentem vergit Evangelicis verbis fraudata est, et quamvis non eadem fructuum copia in omnibus Italiae municipiis hisce injectis seminibus responderet, plurimorum tamen hominum obsequium, ac studium religionis nostrae Evangelicis cultoribus satisfecisse cognoscimus. Hinc populi Urbi Romae subditi, et Neapolitani (57), Nolani (58), Capuani (59), Campani (60), Apuli (61), Calabri, Lucani (62), Brutii (63) de Apostolica institutione glo-

(57) Vid. Antonius Caracciolus - Sacra Eccl. Neapol. monumenta Neapol. 1645. et Alex. Symmachus Mazochi - Comment. in vetus marmor. S. Neap. Eccl. Kalendarium. Neap. 1743. et 1755. nec non ejusd. auct. diss. de Sanctorum Neap. Eccl. Episcoporum cultu. Neap. 1753.

(58) Cf. Jo. Steph. Remondini - della Nolana Ecclesiastica Storia. Napoli per Giovanni di Simone 1747. Tomi III. in fol.

(59) Vide Michaelis Monachi Sanctuarium Capuanum Neap. 1630. et 1637.

(60) Vid. Petrus Giannone - Istoria Civile del Regno di Napoli - Neap. 1723.

(61) De Apulis vid. Caracciolus in op. cit. in n. not. (57) ubi et de Calabrorum origine ecclesiastica.

(62) De Lucania sive Basilicata vid. Ferd. Ughelli Ord. Cister. - Italia sacra - T. VII. pag. 2. Venet. 1721.

(63) De Brutiis vid. hist. cit. Petri Giannone in n. nota (60).

riantur. Thusci (64), Ligures (65), Ravennates (66), Bononienses (67), Mediolanenses (68), Aquilejen-

(64) De Florentinorum conversione ad Christum cf. Lami de erud. Apost. pag. 190. Florentiae 1738., nec non Fogginius de itinere D. Petri etc. pag. 289. Florentiae 1741.

(65) De Metropoli Januensi et de universa Liguria leg. Ughelli - Italia sacra - pag. 829. et seqq. T. IV. Ven. 1719. Augustinus Justinianus - Annali della Republica di Genoa - Genoa 1537. fol. Baronius in annal. ad an. 51. n. 54. pag. 371. et seqq. edit. cum crit. Pagii. Lucae 1738. qui haec habet « verum ipsum (Barnabam) in Italiam venisse et in Liguria praedicasse Evangelium, nobilissimamque Mediolanensium Ecclesiam erexisse, ac longe lateque Christi fidem feliciter propagasse, firmae traditiones ejusdemque Ecclesiae monunenta complurium scriptorum testimoniis confirmata, fidem certam atque indubitatam faciunt. »

(66) Vid. Sermo CXXVII S. Petri Chrysologi pag. 188. Augustae Vindelicorum 1758. ubi erudita legitur diss. Josephi Aloy. Amadesii de Metropoli Ecclesiastica Ravennatensi pag. LV. Vid. Hieronymus Rubei Historiarum Ravennatum ext. T. VII. part. I. Thesauri Antiq. et Hist. Ital. per Graevium et Burmannum Lugduni Batav. 1722. cf. Ughelli - Italia sacra T. II. p. 322.

(67) Ait Baronius ad an. 272. S. Zamam (cujus festum a Bononiensibus celebratur IX. Kal. Febr.) primum fuisse Bononiae Episcopum *cujus certa testataque memoria est*. Vid. Bar. ad an. sup. d. p. 184. T. III. edit. Lucae cum crit. Pagii. Adnotat vero Baronius Ecclesiastica monumenta Diocletiani incendio fuisse combusta, unde certo sciri nequit an S. Zama vere primus Episcoporum Bononiensium extiterit. Incredibile mihi videtur quod Urbs illa nobilissima, et celeberrima adhuc saeculo III. Gentilium tenebris detineretur, vel adhuc Antistite caruisset. Cff. Martyr. Rom. ad diem 26. Februar. Bollandiani T. III. Feb. p. 639. Carolus Sigonius de Episc. Bonon. Bononiae 1586, Celsus Falconi Can. Reg. - Memorie storiche della Chiesa Bolognese e suoi Pastori Bologna 1649. Gaspar Bombaci - memorie sacre degli uomini illustri per titoli e per fama di Santità etc. Bol. 1640.

(68) Cff. Bollandiani in - Historia de Episcopis Mediolanensibus - Ext. T. VII. Mensis Maji pag. LV. et pag. 643. T. I. Mensis Junii, nec non T. III. ad diem XIX. Jun. pag. 817. vid. nota sup. (65).

ses (69), aliquem Apostolum, vel alium ex Apostolorum disciplina catholicae veritatis magistrum, ac ducem ostendere non desinunt: vicit in plerisque vis Patriae veritatis studium, et municipales traditiones pro tutissimis monumentis habitae, quas tamen non est cur indiscriminatim rejiciamus, scientes nil magis Petro, et Successoribus suis curae fuisse, quam ut fidelium Societas per totam Italiam feliciter coalesceret.

§. XII.

In Gallia.

Galliam transalpinam, cui nomen est Francia, quadam Christi notitia jam primitus (70) imbutam ostendunt saeculo II. nobiles admodum Ecclesiae Lugdunensis, et Viennensis Iraeneo Polycarpi disci-

(69) Cff. Bollandiani T. III. Apr. pag. 346. T. II. Jul. ad diem XII. p. 249.; Ughelli T. V. p. 1. Italia Sacra; Bernardus de Rubeis - Monumenta Ecclesiae Aquilejensis Ven. 1740.

(70) Vid. epistola Petri de Marca ad Henricum Valesium, de tempore, quo primum in Galliis suscepta fides Christiana; extat initio Historiae Ecclesiasticae Eusebii edit. Guillelmi Reading. Cantabrigiae 1720. et T. V. Jun. Bolland. p. 544. tandem p. 415. Dissertationum ejusdem Auctoris ad calcem libror. de Concordia etc. Lipsiae 1708. Cf. Dionysius Samarthani - Gallia Christiana - Lutetiae Paris. 1715. De Ecclesia Lugdunensi T. IV. pag. 1. de Arelatensi T. I. pag. 516. De Parisiensi T. VII. Vid. Jo. Alb. Fabricius - *Salut.. Lux Evang.* cap. xvii. pag. 384. Hamburgi 1731. et Mamachius Orig. etc. L. ii. c. xxii. §. 1. p. 263.

pulo post Pothini (71) Martyrium concreditae. Ceterum in iis quae scripta sunt de Arelatensi Missione Trophimi tempore Apostolorum, subest aliquid falsi. Profecto missionem hanc ad aetatem Decii referre non dubitavit Gregorius Turonensis (72) ex actis Saturnini Episcopi Turonensis, quibus testatum est, Grato ac Decio Coss. anno circiter 250. pios viros septem, Dionysium (73), Gatianum (74), Trophimum (75), Paulum (76), Saturninum (77), Martialem (78) et Stremonium (79) fuisse a Fabiano Papa pontificali dignitate auctos, et Christianam Fidem evangelica voce ubique elata, conditis inter

(71) Eusebius Pothini seu Photini martyrium describit sub M. Aurelio et Lucio Vero in H. E. L. v. c. 1. p. 204. edit. cit. Guillelmi Reading. et p. 216. ait: « Igitur cum Pothinus anno aetatis nonagesimo una cum Gallicanis martyribus caesus esset, episcopatum Lugdunensis Ecclesiae post illum suscepit Irenaeus » S. Greg. Turon. - Ex quibus (scilicet martyribus) et ille primus Lugdunensis Ecclesiae Photinus Episcopus fuit - Greg. Tur. Hist. Franc. L. i. §. xxvii. edit. Maurin. (Ruinart) pag. 22. Luteciae Paris. 1699.

(72) Greg. Tur. pag. 23. edit. nuper cit. - Hujus tempore (Decii) septem viri Episcopi ordinati ad praedicandum in Gallias missi sunt, sicut Historia passionis Sancti Martyris Saturnini denarrat - Ast in actis Saturnini nihil de tempore quo singuli in Gallias missi sunt.

(73) Parisiacis missum.

(74) Aut Grazianum vel Gratianum Turonicis.

(75) Arelatensibus.

(76) Narbonae.

(77) Tolosae.

(78) Lemovicinis.

(79) Arvernis.

varia rerum discrimina Lutetiae, Turonis, Arelate aliisq. Ecclesiis, totis viribus in Gallia asseruisse (80).

§. XIII.

In Britannia et Germania.

In Britanniam (81) deinde, et in Germaniam cis Rhenanam (82) Romanorum imperio addictam Christiana Religio e Gallia transmissa videtur: saltem in Germania cis Rhenana graviora habuit praeconia,

(80) Cff. Greg. Tur. edit. cit. Theod. Ruinart. - Acta martyrum sincera - p. 128. et seq. edit. Amstelaedami 1713. diss. V. Apolog. Paschal. Quesnelli pro Sancto Hilario Arelat. Episc. p. 238. col. 2. ad calc. opp. S. Leonis Magni Lugduni 1700. Vidd. Ballerini fratres c. ii. in 2. part. diss. V. Quesnelli p. 998. et seq. T. II. opp. S. Leonis M. Venet. 1756.

(81) Vid. Jacobus Usserius - Britannicarum Ecclesiarum antiquitates - Londini 1687. qui auctoritate plurium Scriptorum demonstrare studet a primo exortu Evangelii suscepisse Britannos Christi fidem p. 2. edit. cit. vid. Praefatio ad Angliam Sacram Hen. Wharton Londini 1691. ubi plures auctores recensentur qui Angliam sacram illustrarunt, caute vero legendi. Mamachius Orig. etc. lib. ii. c. xxiv. pag. 291.

(82) Vidd. Justinus in dial. cum Tryphone j. cit. in nota h. (47). Irenaeus c. haereses j. cit. not. h. (54). Tertullianus loc. cit. in no. h. (53). Christoph. Cellarius in diss. - de initiis cultioris Germaniae pag. 591. edit. diss. Lipsiae 1702, et Mamachius Orig. etc. c. xx. L. ii. p. 214. Auctores vero, qui Germaniam sacram vel in genere vel in specie illustrarunt, reperies apud Struvium Burcardum Gotthelfium in Bibl. Hist. selectae cum additionibus Christiani Gottlieb Buder. Jenae apud Christ. Henricum Cunonem 1740. T. II. pag. 905. in quo opere et rerum Scriptores Britannorum, Hispanorum, Gallorum aliarumque nationum summa eruditione afferuntur. Vid. Jo. Alb. Fabricius Salut. Lux. Evang. cap. xviii. ed. cit. pag. 406.

ut ab Irenaei, et Tertulliani testimoniis apparet: origines Ecclesiarum Coloniensis, Trevirensis (83) Metensis, et aliarum quae parentes agnoscunt Eucharium, Valerium, Maternum, Clementem, vel a tertio Saeculo repetunt eruditi. Britannos Romanis inacessos, Christum jam inde a primis temporibus coluisse, pro certo habuit Tertullianus (*lib. adv. Jud. c. VIII.*), licet in dubium revocentur, quae pro hac Ecclesiastica vetustate Britanni describunt de Legatione Lucii eorum Regis ad Eleutherium Pontificem (84).

§. XIV.
In Hispania.

Neque Saeculo secundo posterius Christi fides in Hispania evulgata est, quidquid aliunde tam celebratis Ecclesiarum in ea regione originibus a Jacobo Majore deductis tribuendum sit (85). Attamen Paulus adeundas Hispanias sibi proponit ad Roma-

(83) Vid. Calmetius T. I. Lib. iv. c. xxiii. pag. 163. operis - Histoire Ecclesiastique et Civile de Loraine - a Nancy. 1728. Spicilegium sive collectio Veterum aliquot scriptorum, qui in Galliae Bibliothecis delituerant; studium Lucae d'Achery. T. II. Parisiis 1723. pag. 208.

(84) Vid. Mamachius nota (1) pag. 293. lib. ii., ubi appositas Scriptorum sententias exponit de Lucio Britannorum rege, et de Eleutherio.

(85) Nulla vero traditione innititur Jacobi praedicatio in Hispania, quam inter alios pro certo habendam esse putat Joannes Mariana - Hist. de Rebus Hispaniae - Hagae - Comitum 1733. p. 110. L. iv. Cf. Mamachius Orig. etc. lib. ii. p. 279.

nos scribens (86); neque tempus rei perficiendae defuit: imo revera perfecisse unanimis Patrum sententia est. Unde conjunctis Pauli atque Episcoporum, quos illuc Roma mittebantur, impensis studiis, religio tam late diffusa, atque animis tam alte infixa dicitur, ut, si Inscriptioni de Nerone Imperatore, quam tradunt inHispania (87) repertam, fides adhibenda sit, haud pauca ibi recensentur exempla Christianorum, qui vitae jactura turpem effugere defectionem non dubitarunt.

(86) C. XV. 24. « Cum in Hispaniam proficisci caepero, spero « quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis « primum ex parte fruitus fuero » vv. 28. « hoc igitur cum consum« mavero et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in His« paniam » Non defuit autem tempus Paulo ut hoc suum desiderium expleret. Vid. Cajetanus Cenni in diss. de antiquitate Ecclesiae Hispanae. Romae 1741.

(87) In ruinis pagi Marquesiae in Lusitania

NERONI . CL . CAIS
AUG . PONT . MAX
OB . PROVINC . LATRONIB
ET . HIS . QVI . NOVAM
GENERI . HUM . SUPER
STITION . INCULCAB
PURGATAM

apud Gruterum pag. CCXXXVIII. T. I. Part. I. Amstelaedami 1707. Dubiae auctoritatis hanc inscriptionem esse putant nonnulli, inter quos Scaliger, et Ittigius. Cf. Jo. Ernestus Walchius in hist. persec. Neronianae. Jenae 1753. et in illustratione marmoris a Grutero relati. Jenae 1750.

§. XV.

In Africa.

—

Ad verum magis accedere existimamus, nullum ex Apostolis Evangelii causa Carthaginem permeasse, sed quosdam potius saeculo secundo Roma legatos, qui eandem primo Civitatem, deinde reliquas Provincias ad veritatis tramitem, Fidemque Christi traducerent (88). At nihil verius quam laetissima soboles inde exorta, permultaeque non multo post conditae Ecclesiae; nihil praeclarius, quam ille non sane exiguus septuaginta (89) Episcoporum numerus, quos Agrippinus Carthaginensis, saeculo tertio ineunte, in Synodum coegit, caeteris interea, si Cypriano credimus, Africae Episcopis persecutionis fremitu aversis. Nihil denique ipso saeculo ad Religionem nostram praestantius quam egregia fides, invictaque martyrum fortitudo, magni Episcoporum, ac Cypriani praesertim labores, quos Christiani nominis per totam Africam ce-

(88) Vid. Justinus in dial. cum Tryph. alias a nobis cit.

(89) Augustinus in lib. de unico Baptismo contra Petilianum ait « nam illud quod adjungit de Episcopo Carthaginensi Agrippino, de inclito Martyre Cypriano, de septuaginta praecessoribus Cypriani » T. IX. pag. 537. cap. 22. et in lib. III. de Baptis. contra Donatistas. — Nam et in quodam Septuaginta et unum Episcopos fuisse commemorat. — T. IX. pag. 112. cap. xiv. opp. edit. Maur. Parisiis 1688.

lebritas (90), data novis Ecclesiis novis Pastoribus copia feliciter consequutae sunt.

§. XVI.

Primi Christiani non omnes idiotae atque infimi fuerunt.

Fastidium gignit Frereto, et ludibrio habet, primos ex Christianis neque doctrina, neque gratia, neque aliis opibus, quae tanti apud homines esse solent, valuisse. Caecutit infensissimus Ecclesiae hostis, et, sublatis quibuslibet humanis subsidiis, divinae tantum virtutis spectaculum omnium oculos perstringens, omnes tenebras dispellens, non videt. Mirum, inquam, ac plane divinum, paucos indoctos, inopes, nulloque praesidio instructos, gentilis Religionis dominationem remotissima vetustate labefactare, novamque molem superstruere contendisse (91). Mirum rursus, acerba Apostolorum internecione, animos non torpuisse, nec torpuisse

(90) Vid. Mamachius Orig. etc. p. 319. lib. ii.

(91) Recolantur quae diximus in nota h. (20) de plebe ab Apostolis adscita, et de eorum origine. Praeter ea ad abundantiam Argumenti opponimus Magos, qui duce stella Christum adorarunt, Martham, Lazarum, Magdalenam, Nicodemum, Josephum ab Arimathaea, Matthiam, Matthaeum, Lucam Medicum, Paulum civem Romanum, Ananiam cum uxore, Eunuchum Reginae Candacis, Cornelium Centurionem, Sergium Procons., Dionysium doctiss. Athen., Crispum Archisynagog., ut ceteros omittam. Freretum egregie confutavit Nicol. Spedalierius in opere - *Analisi dell' Esame Critico del Sig. Nicola Freret* - Artic. vii. cap. vi. pag. 223. *Assisi* 1791.

vocem, quae immo graves nobilesque viros ad suum imperium excitavit. Sane quidem crevit, vel a primo saeculo eorum numerus, qui generis, divitiarum doctrinaeque laude florentes Ecclesiasticam, non secus ac civilem rempublicam exornarunt. Etenim, ut sileamus de iis, quos memorarunt Acta, aut Epistolae Apostolorum, sub Tito et Domitiano, Flavius Clemens, Flavia Domitilla, et Glabrio claro loco nati, Christo adhaeserunt: prolata longe, lateque a Trajani aetate usque ad Antoninum Divina Religio strenuos exercituum Duces, Senatores amplissimos, optimates matronas nobis exhibet, quorum omnium honores indefectibili Martyrii gloria cumulati sunt. Urbes praeterea, insulas, oppida, municipia, Castra, Palatium, Senatum, Forum, omnia, exceptis Templis, Christianorum multitudine teneri, et affluere, Tertullianus in Apologetico gloriabatur; nec Septimii Severi, Alexandri, Philipporum, et Diocletiani imperia huic gloriae obstare potuerunt: illustrium dignitatum loca, nobilium Christianorum numero superante, defuissent. Pudeat modo Freretum, fideles primigenas pro misera plebecula, et mancipiorum grege blaterare.

§. XVII.

Causae hujus mirae propagationis.

Ad hanc tam properam, tam singularem Religionis nostrae propagationem accessit, et magno ponderi fuit aliud supernae originis indicium, nempe miraculorum patratio, et spiritus prophetalis, quibus Apostoli, et eorum asseclae in consequentes etiam aetates (92) praediti sunt. Haec nullus mente

(92) Cf. Nic. Spedalieri contra Gibbonium in opere – *Confutazione dell'Esame del Cristianesimo fatta dal Signor Eduardo Gibbon* – *pag.* 185. *Cap. iii. Roma* 1784. Porro satis erit perlegere quae habent Patres de dono miraculorum post tempora Apostolica. Justinus M. Apol. II pro Christianis ad Senatum Romanum §. 6. pag. 93. edit. Maur. Monach. (Maran) Paris 1742. ait: « Id profecto ex his, quae in omnium oculis geruntur, perspicere potestis. Plurimos enim daemoniis agitatos in toto orbe, et in urbe vestra, multi ex nostris Christianis, cum per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato Crucifixi adjurarent, ab aliis adjuratoribus incantatoribus et veneficis non sanatos sanaverunt, atque etiam nunc sanant, fractis et ejectis daemonibus homines detinentibns.» Vid. Irenaeus. Episc. Lugd. et M. L. II. contra Haereses Cap. 31. §. 2. pag. 154. edit. Maur. (Massuet) Paris 1710., cujus verba habentur etiam graece in cit. edit. atque ab Eusebio conservata sunt. L. V. H. E. cap. 7. pag. 217. edit. Guil. Reading. Cantabrigiae 1720.

Id. Irenaeus L. II. con. Haereses Cap. 32. §. 4. p. 166. edit. cit. ait « Quapropter et in illius nomine, qui vere illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesia. Alii autem et praescientiam habent futurorum, et visiones, et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus imposi-

constans poterit inficiari, quae in propatulo acta, et a veteribus in Judaeos, Ethnicos, et Haereticos allata fuerunt, nisi veteres ipsos fallaciis hallucinatos,

tionem curant, et sanos restituunt. Jam etiam quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt, et perseveraverunt nobiscum annis multis, et quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Jesu Crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis et ministrat » Quod extat etiam graece in cit. edit. et desumptnm ex eod. cap. 7. L. V. H. E. Eusebii.

Tertullianus in Apologetico C. 23. p. 226. ex edit. Sigeberti Havercampi Lugd. Batav. 1718. « Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem Daemone agi constet. Jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se Daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. »

Id. ad Scapulam p. 69. Edit. Lut. Paris. 1664. cum notis Nic. Rigaltii, et Phil. Priorii ac Varior. commentariis « Daemones. . . de hominibus expellimus sicut pluribus notum est. »

Et in eod. Lib. p. 71. cit. edit. « Haec omnia tibi, et de officio suggeri possunt, et ab iisdem advocatis, qui et ipsi beneficia habent Christianorum . . . Nam et cujusdam Notarius cum a Daemone praecipitaretur liberatus est, et quorumdam propinquus, et puerulus. Et quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a daemoniis, aut valetudinibus remediati sunt . . . . Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsae?

Origines contra Celsum. L. I. N. 2. p. 321. edit. Maur. (De la Rue) Paris 1733. T. I. « (in ostensione) virtutis autem propter miracula, quorum patrandorum vim, ac potestatem penes Christianos esse cum ex multis aliis, tum inde maxime efficitur, quod eorum adhuc supersint vestigia apud eos, qui ex legis Christianae praeceptis vitam suam moresque exigunt. »

aut decipiendi libidine captos improbe existimet. Neutrum veri speciem praefert, nec e re Christianorum esse unquam potuit, vel minus perspecte, vel

Ad hunc Origenis locum extat in cit. edit. eruditissima nota Spenceri, in qua referuntur aliorum Patrum, et Scriptorum testimonia de miraculorum frequentia apud Christianos.

Vid. L. II. Contra Celsum N. 8. p. 392. edit. cit. Lib. I. N. 46. p. 361. L. III. N. 24. p. 461. L. VII. N. 4. p. 696. Cyprianus Ep. Carth. M. epist. I. ad Donat. p. 3. edit. Baluzii. Parisiis 1726. « Inde jam facultas datur castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute sincera, in medelam dolentium posse venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes reddita sanitate purgare, infestis jubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos et errativos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere ut recedant, duris verberibus urgere, conflictantes, ejulantes, gementes incremento poenae propagantis extendere, flagris caedere, igne torrere. »

S. Basilius Magn. Lib. de Spir. S. Cap. 29. N. 74. pag. 62. T. III. opp. edit. Maur. Paris. 1730. loquitur de miraculis S. Gregorii Neocaesar.

De prodigiosa pluvia Christianorum militum precibus impetrata M. Aurelio Imp. videatur Tertullianus in Apologet. c. 5. p. 62-63. edit. Sigeb. Havercampi Lugd. Batav. 1718. « At nos e contrario edimus protectorem, si literae Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri, discussam contestatur. »

Idem in lib. ad Scapul., ut supra citavimus; et apud Eusebium Caesar. in Chronic. S.Hier. interpret. ad an.175. col 725.-726. T.VIII. Par. I. opp. S. Hieron. edit. Vallarsii Venet. 1769.

Cf. Paulus Orosius lib. VII. Historiar. c. 15. ext. T. IX. p. 142. Bibl. Vet. PP Gallandi Ven. 1773. Videsis auctorem epistolae de miraculorum duratione post aetatem Apostolorum ext. in Ephemerid. Trivortianis an. 1751. art. 54. mensis maji. Ruinartium in Actis sinc. Martyr. ad acta S. Pionis n. XIII. pag. 146. et in nota (40) pag. cit. Amstel. 1713.

mendaciter agere, ut statim, veritate patefacta, causa quam propugnandam susceperant, in contemptum et cachinnum verteretur. Qui ad alias, prater quas innuimus, stupendae hujus amplificationis causas confugiunt, hi imaginationi plus aequo indulgere nobis videntur, atque, ut optime ait Moshemius (93),

(93) Videatur Moshemius Inst. Hist. Eccl. c. IV. §. 10. pag. 29. Helmstadii 1764. Maxima temporis brevitate propagatam fuisse in universo orbe Christi Religionem demonstrat Plinius Junior in Ep. 97. ad Trajan.; Justinus M. in Dial. cum Tryphone; Irenaeus c. haereses; Tertullianus in Apologet. loc. cit. in notis h. (51) (47) (54) (53). Haec autem propagationis celeritas supernaturalibus causis tribuenda est, si inspiciamus homines ad hanc religionem propagandam adhibitos, doctrinam propositam, quae prohibet concupiscentiam carnis, et oculorum, atque superbiam vitae, quae praecipit confessionem, jejunia, vigilias, eleemosynas, inimicorum dilectionem; si inspiciamus statum Religionis Ethnicorum; eorum luxuriosam vivendi rationem, odia Sacerdotum Gentilium in nostros homines, impedimenta nobis opposita, bonorum scilicet, et honoris, amissionem, persecutiones Imperatorum crudelissimas. Post haec, qua fronte naturalibus rationibus hanc propagationem tribuat Gibbonius, et Hobbaesius, certe non video. Gibbonius enim Christi Religionem propagatam tam celeriter fuisse, autumat ob zelum Christianorum, et Apostolorum labores, ob immortalitatem animorum ab Apostolis praedicatam, ob miracula ab eis patrata, et a discipulis, tandem ob sanctissimam vivendi rationem Christianorum, et rectam Ecclesiae gubernationem. Hobbaesius vero ob amorem Christianorum in pauperes, unde egenorum multitudo Christum fuit amplexata, et ob scelera Sacerdotum Ethnicorum, nec non veteris Religionis stultitiam. Haec habent Gibbonius, et Hobbaesius. Ast humanitus explicari non potest constantia Martyrum in tormentis, doctrina Apostolorum, quos antea rudes et ignaros fuisse, nemo ignorat. Animorum immortalitas ab Ethnicis jam credebatur, ut historiae monumenta, et ritus docent. Miracula vero ineluctabile praebent veritatis argumentum, nec humanitus fieri possunt. Hic autem Gibbonius con-

somnia nobis recitant, quae nullis placebunt, nisi rerum humanarum ignaris.

tradictione laborat, illud nunc pro certo habet, quod alias negat. Christianorum sanctissima vivendi ratio, et recta Ecclesiae gubernatio satis non erat ad Deorum cultum evertendum, cum Gentiles Christianorum vivendi regulam, non sanctitatem sed turpitudinem dicerent, ut videre est apud Celsum. Tandem non pauperes solum, sed divites Christo nomen dabant; et vitiosi, ut observat Moshemius loco cit., inertes, et desides inter Christianos haud numerati fuere. Vitia autem Sacerdotum Ethnicorum efficere ad summum poterant, ut Ethnici Deos relinquerent, non vero ut nostram Religionem amplecterentur, tonante undequaque persecutionis procella; praesertim cum virtutes saepissime ad admirationem, raro ad imitationem ducant, quemadmodum animadvertit Moshemius. Vid. Nicol. Spedalieri contra Gibbon in op. alias cit.

CAPUT III.

DE PERSECUTIONIBUS IN CHRISTIANOS EXCITATIS.

§. I.

A Judaeis.

Vix credibile est, quot et quos hostes oppetierit promulgata recens Christiana Religio: vix credibile non solum Ethnicos, sed et Judaeos, qui auribus Evangelium, oculis prodigia Christi, et Apostolorum acceperant, in eandem tamen totis viribus conspirasse. Rapto itaque, heu facinus! ad turpissimum supplicium ipso Dei filio, caecoque furore in ejus asseclas converso, maledictis et probris eos implere (94), ad mortem exquirere, religionis enascentis semina radicitus extrahere contenderunt: quidquam Religionis non occurreret, si tam in eorum potestate fuisset evertere, quam eniti. Primum eorum impetum sustinuit Stephanus, quem lapidibus (95), deinde Jacobum Zebedaei, quem gla-

(94) Act. V. 18. et seq. IX. 1. et seq. XXII. XXVI. vid. S. Hyppolitus Serm. in Danielem et Susannam p. 273. et seqq. T. I. opp. edit. Hamburgi 1716. Vid. Mamachius Orig. etc. T. I. c. 5. §. 3. pag. 302. et seqq.

(95) Act. VI. VII. VIII., vid. Mamachius ut sup. pag. 296. et 304.

dio (96) abstulerunt; Jacobum alterum cognomine Justum (97) in dubio fuit apud veteres, utrum lapidibus, aut de pinna Templi dejectum confecerint. Idem contra Christianos animus Judaeorum in ceteris Romani imperii provinciis, idem odium a parentibus ingenitum, et prope traditum liberis, haud leves calamitates Christi fidelibus comparavit: vetitis per publicas leges injuriis, occasionem quaerebant injuriae; datam avidissime amplectebantur. Hoc numquam clarius apparuit, quam in bello Judaico sub Hadriano Imperatore; nam Bar-chochebas Dux Judaeorum (98), licet in Ethnicos etiam crudelis, solis Christianis tortorem gessit: nullique vel atroci, vel inaudito cruciatus generi pepercit.

(96) Act. XII. 1. 2.

(97) Vid. Josephus Antiq. Jud. lib. xx. c. 8., ubi lapidibus obrutum Jacobum dicit; Eusebius vero, auctoritate suffultus Hegesippi, e fastigio Templi praecipitem dejectum fuisse, testatur. lib. ii. H. E. c. 33. pag. 77-80. edit. cit. Guillelmi Reading. Non omnia ab Hegesippo narrata ut vera habent nonnulli, inter quos Scaliger; sed frustra. Cf. Joannes Clericus H. E. duorum primor. Saec. pag. 415. Amstel. 1716. Moshemius in Commentar. de rebus Christan. ante Constantinum M. Quae de Jacobi Minoris martyrio, genere, et nomine dici possunt, breviter sed erudite exponuntur in supplement. Natal. Alexand. diction. histor. pag. 88. v. Jacobus. Venet. 1793.

(98) Justinus apud Eusebium ait « Nam et in Bello Judaico, quod nuper gestum est, Barchochebas, is qui Judaicae defectionis auctor, et signifer fuit, solos Christianos acerbissimis tormentis cruciari jussit, nisi Christum abnegarent, et maledictis incesserent – Euseb. H. E. lib. IV. c. viii. pag. 151-152. edit. cit.; vid. Hottingerus Hist. Eccles. Part. I. Sect. iii. de Judaismo, nota ejusd. (6) pag. 64-65. Hanoviae 1655.

De Bar-chocheba sub Hadriano vid. Euseb. H. E. L. iv. c. vi. pag. 145. edit. cit.

§. II.

Poenae Judaeorum.

At non inulta, atque impunita tot maleficia haberi poterant a supremo omnium vindice, qui graves admodum poenas de perfidioso populo sumpsit. Etenim quadragesimo anno post portentosum scelus ex vaticinio Christi (99), exercitus Romanorum Tito imperatore, civitatem Judaeae Caput, circumclusit, expugnavit, e stirpe evertit, Templo fu-

Judaeos primos fuisse Christianorum hostes nemo ibit inficias. Mitto quae Christus ipse fuit expertus a Judaeis, et ea potius considerentur quae in Stephanum, Jacobum aliosque crudeliter Haebraei gesserunt. Praedixit id Christus Jo. XVI. 2, 4. XVII. 14. Matth. X. 17, 22, 24, 25. XXIII. 34. Leg. I. Thess. II. 14, 15. Hebr. X. 32. I. Petri. Galat. V. 11, 12. II. Corinth. XI. 24, 25. Act. Apost. XVII. 5. XVIII. 12-15. XIX. 24-34. XXII. XXIV. XXV. Omnia ferme Actuum Apostolorum capita commemorant persecutiones a Judaeis in Christianos excitatas, primam persec. Act. IV. alteram V. 17, 18, 40. Idem probatur Ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis. Vid. Smyrnensis Ecclesiae epistola ad Philomelienses ubi de Polycarpo, quam epistolam Eusebius fere totam inseruit Hist. Eccl. lib. iv. c. xv. pag. 162. edit. Cantabr. j. c., integram vero edidit Cotelerius in Biblioth. PP. Apostolicor. Par. I. Tom. II. pag. 195. Amstel. 1724. cum notis Usserii aliorumque. Cff. Justinus M. in Dialogo cum Tryph. n. 17. pag. 117. edit. Maur. j. c. Tertullianus Lib. III. c. Marcionem pag. 891. edit. Paris. 1616., in Scorpiaco adv. Gnosticos pag. 824. edit. cit. Cyprianus in lib. de bono patientiae pag. 252. edit. Maur. Paris 1726. Hieronymus comm. in cap. LII. Isaiae col. 377. et seq. edit. Maurinae Paris. 1704. Tom. III. opp. Sozomenus H. E. Lib. II. cap. IX. pag. 56. et cap. XII. pag. 60. edit. Cantabrig. 1720.

(99) Ap. Lucam Capite XXIII. 28-31.

rentibus flammis circumvento, et hausto, civibus ad cruentissimam internecionem caesis, reliquis in tristem, perpetuamque servitutem abstractis. Perstringunt ingenti horrore animos, lacrymas permovent, quae Josephus Judaeus de miserando illius urbis excidio fusius, et clarius in sexto libro de Bello Judaico scripta reliquit (100). Omnia ex praedictione Christi ad verbum cessere, qui templum, ac pristinam populi libertatem nunquam instauranda pari, metuendoque oraculo complexus est: cui vero Judaeorum labores, et nisus pro instauratione illa, tam irriti, quam frequentes luculentissimum testimonium suppeditant. Certe Judaeos ductos a Bar-chocheba, et hoc idem molientes Anno 134 repressit Hadrianus, qui e ruinis Hierosolymis Aeliam Capitolinam Coloniam proxime fundaverat, eaque regione Judaeos quoslibet capitali poena (101) prohibuit: suis

(100) T. II. opp. edit. Havercampi. Amstel. 1726. Cff. verba Christi ap. Lucam XXIII.

(101) Euseb. H. E. L. iv. c. vi. p. 145-147. edit. cit., postquam narravit, quid anno XVIII. imperii Hadriani factum fuerit circa urbem Betthera, prosequitur « ex eo deinceps tempore universa Judaeorum gens in regionem circum Hierosolyma sitam, pedem inferre prohibita est, lege, et constitutione Imperatoris Hadriani; adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis liceret, ut scribit Aristo Pellaeus. In hunc igitur modum cum civitas Judaeorum gente nudata esset, et veteribus incolis penitus vacuefacta, posthaec alienigenis eo confluentibus urbs, et colonia civium Romanorum effecta, in honorem Aelii Hadriani Imperatoris, Aelia nuncupata est. Vid. Jo. Alb. Fabricius Salut. Lux Evang. pag. 124. Hamburgi 1731.

sedibus pulsi dispersi, exleges, sine templo, sine sacrificio totum terrarum orbem pererrant (102).

§. III.

Falsa in Christianos crimina.

Ubi non possent Hebraei directe in Christianos invehi, iniqua saevaque consilia Gentilibus proponebant: inde, ut veteres omnes sensere, infamiae nostrae seminarium inter Ethnicos (103), prava inde de Christo, suisque sectatoribus commenta. Etenim cum primum de Redemptoris ascensione cognitum est, Hierosolymis missi sunt per totum orbem, qui Christianis contemptum, et odium pararent, et ea disseminarent, quae postea contra Ecclesiam Dei in ore Ethnicorum fuerunt. Christo nullum cultum, Apostolis et Fidelibus nullum honorem deberi, qui Athei essent, qui Thyesteis mensis accumberent (104), qui incestis, flagitiis et stupris per tenebras polluerentur, haec communia rabidarum linguarum probra, quae etiam haeretici nullo

(102) Tertullianus « etsi ipsi, *ait*, non confiterentur, probaret (*juxta cod. Agobard.* probavit) exitus hodiernus ipsorum. Dispersi, palabundi, et coeli et soli sui extorres vagantur per orbem sine homine (juxta Scalig. *sine nomine*), sine Deo Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. » Tertull. Apolog. c. XXI. p. 196. edit. Havercampi.

(103) Vid. Mamachius Orig. etc. T. I. lib. I. a pag. 79-100.

(104) V. Mamach. Orig. ut supra pag. 156.

non tempore recoquere consueverunt (105). Hinc etiam Ethnici (106) quidquid vitiis adversaretur aversantes, occasionem libenter arripuere magistros virtutis, molestum veluti judicium, excutiendi, et castissimam Religionem, tamquam insanam superstitionem, et scelerum tutamen, Neroni repraesentandi. Ita Tacitus, qui urbani incendii suspicionem ab hominibus nostris, non vero reliqua dedecora avertere studet (107).

(105) De Calumniis Haereticorum in nostros homines vid. Mamach. *Orig.* etc. T. I. lib. I. a pag. 102. - 109.

(106) De Ethnicorum odio, adv. Christianos vid. Mamach. T. I. Lib. I. a pag. 110. - 185.

(107) V. Tacitus lib. XV. Annal. c. 44. Alia crimina in Christianos confingebant, et disseminabant Judaei. Vidd. Origenes c. Celsum lib. VI. n. 27. pag. 651. edit. Maur. (de la Rue) Paris. 1733. et pag. 243. edit. Cantabrig. 1658. Tertullianus in Apologet. c. IX. pag. 89. et seq. edit. Havercampi, Athenagoras in legat. pro Christ. ext. ad calcem opp. S. Justini pag. 279. edit. Maur., Justinus in Dialog. cum Tryph. ext. ibid. pag. 101. Theophilus Antioch. l. 3. ad Autolycum ext. ibid. pag. 380. Caecilius ap. Minuc. Felicem in Octavio. Lugd. Batav. 1652. Cf. Christ. Kortholt in lib. - De calumniis Paganor. in veteres Christianos - Kilonii 1668. Jo. Jacobus Huldricus in op. - Gentilis obtrectator, sive de calumniis Gentilium in Judaeos commentatio. Cui accedit disquisitio de calumniis ab iisd. Gentilib. in primaevos Christianos sparsis auctore Jo. Jac. Huldrico Jo. Jac. Filio. Tiguri 1744.

§. IV.

Causae quae odium Ethnicorum inflammabant in Christianos.

—

Putidae haec erant Ethnicorum calumniae, neque magis intollerabiles sanis hominibus visae sunt, quam post literas Plinii Bithyniae Proconsulis ad Trajanum, in quibus nulla alia fit mentio, nisi de irreprehensibilibus Christianorum moribus, de eorum conventibus ad promiscuum, innocuumque cibum sumendum. Quod si crimina deerant, criminandi non deerat animus. Perspicuum erat Sacerdotibus, et Haruspicibus ex numinum cultu, et magica superstitione pinguescentibus, de opimis quaestibus omnino actum esse, ubi Christianorum res augerentur; unde principiis obstare, nova germina evellere, una mens, unum negotium fuit. Itaque verecundiam omnem exuentes Christianis obstrepere, convicia fundere, fabulas in vulgus emittere, seductilem plebem commovere, adversa quaevis, et aerumnosa, omnia denique infausta a Christianorum capite arcessere caeperunt. Gravioribus reipublicae infortuniis graviores fidelium calamitates respondebant, haequae popularium furori citius, quam statis judicibus per summam injuriam permittebantur. Et quanquam decem persecutio-

nes (108) Romanis Imperatoribus adscribi soleant, id de publicis, et notioribus probe accipiendum volumus, cum vel a plebe, vel a praesidibus provinciarum, Christianos hac illac jugiter exagitatos fuisse constet, neque minus dilucida sit apud Gallonium, Mamachium, Sagittarium ceterosque descriptio convictuum, quibus populus Dei plectebatur: quaenam fuerit inquisitio Judicum, ex mutuis epistolis Plinii, et Trajani, et ex historiarum monumentis apparet, et quam detorta, quam varia extiterit judiciorum ratio adversus Christianos neminem latet. Nil tuti, nil firmi in ipsis legibus imperatoriis, quae nunc quoslibet Christianae professionis homines,

(108) Juxta Orosium lib. VII. c. 27. Auctor libri de mortibus persecutorum, Lactantio tributi, quinque enumerat principum Ethnicorum in Christianos excitatas persecutiones. Sulpicius autem Severus novem recenset; ait enim. « Mox Decio imperante, jam tum septima persecutione saevitum in Christianos. Inde Valerianus octavus sanctorum hostis fuit. Post eum interjectis annis fere quinquaginta, Diocletiano, et Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta..... Sed finis persecutionis illius fuit abhinc annos IX. et LXXX; a quo tempore Christiani imperatores esse caeperunt. » Sulp. Sever. T. II. opp. p. 178-183. edit. studio et labore Hieron. de Prato Veronensis. Veronae 1754. Quare cum octavam sub Valeriano persecutionem fuisse dicat, et postremam sub Domitiano et Maximiano, novem tantum enumerare videtur persecutiones. Qui vero decem recensent, eas hac methodo enumerant I. sub Nerone, II sub Domitiano, III sub Trajano, IV. sub Aelio Hadriano, V. sub Antonino Pio et Marco Aurelio, VI. sub Septimio Severo, VII. sub Maximino, VIII. sub Decio, IX. sub Valeriano et Aureliano, X. sub Diocletiano. De persecutionibus Ecclesiae primitivae sub Impp. Ethnicis deq. veterum Christianorum cruciatibus vid. Tractatus Christiani Kortholt. Jenae 1660.

nunc vero in iis accusatos tantum respiciunt: modo repentinum supplicium in persistentes indicant; modo Praesidum fraudibus, illecebris, varioque crudelitatis specimini locum relinquunt.

§. V.

Persecutio Neroniana.

Primus Nero ex Imperatoribus, anno 64. V. Æ. gladii potestate Christianos perstrinxit caussatus conflagrationem urbis, cujus e contra ipse unus insimulandus erat, et perniciosam Religionis novitatem; reipsa, scribit praeter nostros omnes Tacitus (109), ut publicum odium a proprio capite in fidelium exitium convertere, et acuere facilius liceret. In id discriminis itaque adducti Christiani, tam exquisitis, tam atrocibus suppliciis contriti sunt, ut, subita animorum conversione, ab insecutoribus ipsis miserationem excitaverint: ferream frangebant paganorum duritiem, ciebant lacrymas, addita suppliciis ludibria per belluinam cutem pereuntibus involutam, canum dentes, diram crucis infamiam, ignis furorem, in Christianorum corpora, quae postea nocturnas agerent faces, saevissime inflicta. Romae sublatos hac caede Principem Apostolorum Petrum, et Paulum Apostolum doluit Ecclesia Dei: al-

(109) Lib. XV. Ann.

ter per Crucem, inverso capite, alter per gladium vitam dedere (110).

§. VI.

Late grassatur.

Non Romam solum, sed Provincias quoque Christiano sanguine polluit Nero, quippe qui et incendiarios urbis, et patriae Religionis contemptores (111)

(110) Vid. praet. ceteros Scriptores Sulpicius Severus T. II. opp. edit. Veron. 1754. pag. 160. et seq. c. xxix.

(111) Persecutionem Neronianam minime crudelissimam, atque in urbe tantum excitatam fuisse putat Dodwellus in diss. XI. Cyprianica *de paucitate* Martyrum. Haec opinio arrisit Joanni Clerico (Hist. Ecc. Saec. I. ad an. LXIV. p. 428. et seq. edit. Amstelodami 1716.), Joachimo Langio H. E., Samueli Basnagio in annal. Polit-Eccles. ad an. 65. n. xx. dicenti « nobis tamen vero propius est, labem Neronianae persecutionis non fuisse diffusam » p. 740. T. I. annal. Roterodami 1706., et Voltairio. Adversus autem Dodwelli sententiam vid. Tacitus lib. XV. c. 44. annal., ubi varia suppliciorum genera describuntur ab auctore minime suspecto, quae etiam describit Juvenalis Satyr. I. v. 155. et VIII., Seneca Ep. 14., Plinius in Ep. ad Trajanum, ex quibus constat, Plinium egisse in Christianos, aliqua lege ductum, vi cujus Christiani martyrium oppetebant; atqui lex hujusmodi neque esse potuit Romanae Reipublicae; licet enim ex S. C. hesterna Religio interdiceretur, capitis tamen poenam hesternas religiones suscipientibus adjudicatam nunquam fuisse ex lege XII. Tabul. agnoscimus. Vid. Cicero lib. II. de legibus C. 8. Quod habet vero Paulus Julius Sententiar. L. V. titulo 21. de Vaticinationibus et Mathematicis lege II. non respicit nisi tempus Alexandri Severi. Neque lex, de qua Plinius, tribuenda est Tiberio, cum e contra, teste Tertulliano Apolog. C. 5. ipse, inter Deos Christum cooptandum voluisset, et comminatus fuerit periculum accusatoribus Christianorum. Vidd. Euseb. H. E. L. II. c. 2.

ac maleficum hominum gregem persequi profitebatur. Jure autem agere provinciales Magistratus, certe putabantur tempore Plinii, nec contradicebant nostrates; legesque ipsas Neroniana officina prodiisse dicendum est, cum nullus Imperator ad Plinii, et

Hieron. in Chron. Euseb., Orosius Lib. VII. Histor. et cf. nota n. (32) Nec latam eam legem dicimus a Cajo Caligula, nunquam Christianorum persecutore, ut patet ex illius aevi scriptoribus. Neque a Claudio; quidquid enim sit de voce *Cresto* Svetonii in Claudii vita, ille non Religionis ergo, sed ob turbas Romae commotas Christianos ab urbe expulisset. Vid. Paulus Christianus Hilscherus dissert. *de Cresto Svetonii*, et Gabriel Borzielius in adnotationibus ad caput 44. L. XV. annal. Neque vi legum Domitiani egit Plinius; abrogatae enim fuerant jam ab ipso Domitiano, teste Tertulliano, vel a Nerva, aut a Senatu, teste Lucio Caecilio, et Eusebio. Neque tandem tribuendae sunt Trajano; cum Tertullianus et alii inter Christianos Scriptores hunc persecutorem minime nuncupent. Quod si plures sub Trajano subjisse martyrium, ex actis martyrum constet; desaevitum tamen fuit in nostros ob Neronianas leges. Contra Dodwellum, quoad utramque partem propositam, praeter adducta testimonia, afferri potest Svetonii auctoritas in vita Neronis C. 16., ubi legem, qua Christiani vexabantur, utilissimas inter Reipublicae leges recenset. Vid. Tertullianus in Apolog. C. 5. p. 56. edit. Havercampi. Lucius Caecilius in lib. de mortibus persecutorum; Eusebius H. E.; Sulpic. Sev. H. E. p. 160. et seq. Tom. II. opp. edit. cit. Veronen., et Paulus Orosius. Cff. Theodoricus Ruinartius in praefat. ad acta martyrum. §. III. n. 26. et seq. pag. xxxi. edit. Amstelaedami 1713. Mamach. Orig. etc. T. I. pag. 417., Franc. Maria Luchinius in praefatio. ad acta Martyr. Ruinartii p. 12. Spedalieri contra Gibbon lib. cit. Par. 2. sect. 2. c. 3. pag. 45-51. Videsis Alphonsum de Vignoles diss. binas gallice conscriptas – de causa, et initio persecutionis Neronianae in Phil. Massoni – Histoire critique de la Republique des lettres T. 8. et 9. nec non dissertationem Christophori Cellarii de Neronis in Remp. et Ecclesiam saevitia; pag. 602. Dissert. in sum. red. a Georgio Walchio. Lipsiae 1712.

amplius ad Tertulliani aetatem, si Neronem, et Domitianum excipias, Christianorum excidium legum auctoritate tueretur. Verum postquam Senatus Domitiani acta, et decreta rescidit, irritaque habuit, Provinciarum Praesides nedum Rempublicam tutare, sed potius ausu temerario laedere censendi erant, ubi antiquatas Domitiani leges contra Christianos usurparent (112).

§. VII.

Persecutio Domitiani.

Anno V. Æ. circiter 94, Domitiano Imperatore, qui post Vespasianum parentem, et Titum fratrem, summam potestatem accepit, altera Christianorum persecutio mota est (113), quam plures Christicolas abstulisse, Brutius Ethnicus Scriptor testatum reliquit. De Joanne Apostolo, qui jussu Domitiani in dolium ebullientis olei immissus incolumis prorsus

(112) Vid. nota sup.

(113) Etsi aliquantulum a Domitiano saevitum fuerit in Christianos anno aerae vulg. 87.; tamen anno 93. vel 94. ejus persecutio in universa Ecclesia late grassata est. Innumerabiles summae dignitatis viri, nobiles scilicet, et illustres martyrium oppetiere; alii autem in exilium pulsi, et bonorum proscriptione mulctati. Vid. Eus. H. E. Lib. III. c. 17. p. 108. edit. cit.; Tertull. ita scribit. « tentaverat et Domitianus portio Neronis de crudelitate, sed qua et homo facile coeptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat. Tales semper nobis insecutores injusti, impii, turpes, quos et ipsi damnare consuevistis a quibus damnatos restituere soliti estis » in apologet. p. 60. et seq. edit. cit. Havercampi.

emersit, fidem facit Tertullianus (114). Ceteros quoque nec paucos, et praesertim Flavium Clementem Consulem, et Flaviam Domitillam Martyrii glo-

(114) Tertull. in lib. de praescript. Haeret. « Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas . . . Si autem Italiae adjaces, habes Romam; unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostolicam sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur: ubi Paulus Joannis exitu coronatur: ubi Apostolus Joannes, *posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est*, in insulam relegatur. » cap. xxxvi. p. 215. edit. cum notis Rigaltii Lut. Paris. 1664. Hanc totam narrationem inter fabulas esse amandandam, putat Christophorus Augustus Heumannus in refutatione fabulae de Johanne Apostolo in fervens oleum conjecto. ext. in Bibl. Hist-Phil-Theol. Bremensi. T. III. Fasc. 2. p. 316. Contra quam sententiam adest dissertatio Io. Laur. Moshemii T. I. Diss. p. 504. Altonae, et Lubecae 1767., in qua Auctor, mediam quamdam viam tenens, *nec ita certam esse*, concludit *narrationem Tertulliani, ut sine formidine pro vera queat haberi, nec ita debilem et incertam, ut vulgi commentis et fabellis levibus aggregari debeat.* Argumenta, quae deprompsit Heumannus, desumuntur

I.° ex unico testimonio Tertulliani. II.° ex Tertulliani levitate faciles aures praebentis vulgi rumoribus. III.° ex silentio Irenaei, Eusebii, Hieronymi, et Origenis, qui certe rem tam mirabilem minime praeteriissent. IV.° Ab exemplo aliarum fabularum, quibus referta ab eo dicitur antiquior Christianorum historia. At vero nemo sanae mentis ignorat, narrationem aliquam tunc fabulam dici debere, cum vel veritati certissime opponatur, vel nullo teste, aut ineptis testibus fulciatur. Quomodo autem veritati oppositam Tertulliani narrationem, demonstret Heumannus, certe non video; necesse enim esset, ut evidenter probaret, non accidisse quod narratur de Joanne. Hoc vero nec ipse, nec ceteri unquam assequentur. Si loquamur autem de testibus, dicimus fidem Tertulliano minime esse detrahendam; res enim narrata cum passione Petri et Pauli, de qua nullum dubium, conjungitur. Insuper de fide Tertulliani testis est Hieronymus, qui comment. in Matth. C. 20. ita de Joannis miraculo loquitur, ut

ria honestavit. Ex morte Domitiani compositae sunt res Ecclesiae; sublatis a Senatu (ut refert Dio Cassius) Decretis Tyranni; in patriam, et in fortunam

non solum Tertulliani, sed et aliorum Scriptorum narrationem videatur includere; ait enim « sed si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur quod et ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, et inde ad suscipiendam coronam Christi Athleta processerit, statimque relegatus in Pathmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, et bibisse Joannem calicem confessionis, quem et tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem - Ext. p. 92. T. IV. Opp. Edit. Maur. (Martianay) Paris 1706. Ex quo deducimus, et pro certo habuisse Tertulliani historiam, et alios extitisse scriptores, qui miraculum hujusmodi posterorum memoriae mandarunt. Unde dici nequit Tertullianus unicus testis, neque fides ei detrahenda. Vid. diss. Moshemii p. 519. Nec facilis est dicendus Tertullianus in credendo. Virum enim gravem, acutum, disertum, latinorum Patrum facile ingeniosissimum, non solum cum Moshemio eum judicamus, sed cum aliis doctissimis viris. Quae autem vulgo feruntur non omnia inter fabulas sunt amandanda, neque omnia, quae in antiquiori historia habentur, fabulosa sunt aestimanda; si autem aliquando est facilis in credendo, non tamen semper facilis invenitur. Porro argumentum negativum ex silentio Patrum, quos supra enumeravimus, contra positivum nihil valet; praesertim cum assignari possint causae de hoc silentio; neque omnia Patres narrare tenebantur. Ceterum Irenaeus nullum verbum facit de Joannis exilio; Eusebius plura praetermisit, quae tamen vera sunt; ceteri graeci scriptores, ut Origenes, vel ignorare hoc poterant, cum latine haec Historia conscripta fuerit, vel praetermiserunt, cum et alia ab iis relata non sint. Reliqua apud Moshemium loc. cit. reperies. Accedunt Romanorum Imperatorum crudelitates, certissima Domitiani persecutio, plurimi martyres effecti sub eodem imperatore, teste Brutio, alia hujuscemodi miracula ex Act. Apost. XII. et XIV., varia et plerumque inaudita et nova cruciatuum genera ab imperatoribus excogitata, in hisce exquirendis omnino luxuriantibus. Vid. Mosh. diss. sup. cit., et in responsione ad Heumannum ad calcem ejusdem dissertationis. Mamachius Orig. etc. T. I. p. 421.

pristinam, quos ille exsilio affecerat, Nerva successor revocavit (115).

(115) Negat Dodwellus martyrum multitudinem sub Domitiano; verum testatur Brutius Ethnicus Scriptor *plurimos Christianorum sub Domitiano fecisse martyrium* – ita in Chron. Euseb. ap. Hier. ad an. 98. p. 689. T. VIII. opp. edit. cit. Vallarsii. Nos igitur aliis praeter Brutium testimoniis innixi, et cruentam, et diuturnam Domitiani persecutionem fuisse, fidenter dicimus. *Cruentam.* Vid. Dio-Cassius qui Flavium Clementem, et Flaviam Domitillam martyrium subiisse sub Domitiano apertissime scribit. Lib. 67. Historiar.; imo ex Dionis narratione suspicari possumus, eum sub Judaeorum nomine Christianos indigitasse. Brutius ut supra. Sanctus Clemens in Ep. I. ad Corinth. C. 6. p. 12. T. I. Bibl. PP. Gallandii. Auctor libri de mortibus persecutorum T. II. opp. edit. Lutetiae Paris. 1748. p. 186. et seq. Eusebius loc. cit. in n. nota (113). *Diuturnam.* Etenim verba Lucii Caecilii lib. III. « postquam vero ad persequendum justum populum instinctu Daemonum incitatus est (*Domitianus*), tunc traditus in manus inimicorum luit poenas » non sunt intelligenda absolute, sed comparative; facta scilicet comparatione temporis, quo persecutus est Christianos cum tempore, quod intercessit ab Domitiani inauguratione ad ejus mortem, brevissima dicenda erit Domitianea persecutio sed comparative, non vero absolute; quo quidem sensu locutum fuisse L. Caecilium, eruditissimi viri fatentur. Et sane hujusmodi persecutio incaepit, teste Eusebio, an. 14. Imperii Domitiani; ex Brutio, ut ex Chronico Eusebii supracit., constat, an. 16. Domitiani plurimos fecisse martyrium; Ergo tempus ab anno aerae vulg. 82, quo imperii habenas suscepit Domitianus ad annum 98., quo interfectus est, majus est tempore persecutionis, quae incaepit an. aerae vulg. 95. aut 96., et finem habuit aut post mortem Domitiani, aut paulo ante ejus occisionem. Igitur biennium ultra haec persecutio perduravit, et ita brevissima certe non fuit, ut voluit Dodwellus in diss. XI Cyprianica. Si autem quis ex Brutio, apud Eusebium, colligeret anno XVI. Domitiani excitatam persecutionem fuisse, male ex dictis illud concluderet, cum potius fatendum, crudelius et acerbius eo anno Domitianum in Christianos saeviisse. Vid. Ruinart. pag. xxxiv. et seq. praef. ad acta Martyr. edit. cit. Et Mamachius Orig. etc. pag. 420.

§. VIII.

Trajani Imperium.

—

Anno aerae vulg. 98. ad imperium evectus est Trajanus, quem licet tamquam eximium virtutis exemplar commendent rerum Romanarum Scriptores, et acclamationes post mortem nullum exoptandum dicerent Trajano meliorem, et Augusto feliciorem (116); durum tamen admodum habuere Christiani; iisque aerumnis afflicti sunt, quas mitis Nervae animus nunquam in eos permiserat (117).

T. I. nec non Spedalieri c. Gibbon Par. 2. sect. 2. c. 4. pag. 51-55. Leg. diss. Christ. Cellarii de septem Ecclesiis in Apocalypsi memoratis P. II. diss. Acadd. pag. 431. Lipsiae 1712. Qui autem putant Joannem Apocalypsim scripsisse Domitiani aevo, volunt Apostolum Domitianeam persecutionem indigitasse per mulierem illam *ebriam sanguine Sanctorum sanguine Martyrum.* Oppositum tenet Newtonus T. III. opusc. pag. 435.

(116) Trajani dotes animi extollentur quam maxime a Plinio in panegyrico, et a veteribus historicis; ita ut *optimus* ab omnibus diceretur, nec ullus ipso melior, sicut nullus Augusto felicior. Vid. Eutropius Hist. Rom. Basileae 1546. Extat etiam inter Hist. Rom. Scriptores latinos veteres T. I. Aureliae Allobrogum 1609.

(117) Quamvis nullam tulerit legem adversus Christianos, Trajanus, tamen inter persecutores Christianorum recensetur; ut apparet ex Ep. Plinii Bithyniae propraetoris ad Traj. et ex responsione Trajani ad Plin., in qua Christianos conquirendos non esse jubet, sed arguendos et puniendos si deferantur; unde optime Tertullianus in Apolog. haec protulit verba « O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniri ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? si damnas cur et non inquiris? si non inquiris cur non et absolvis? . . . Solum

Reverentiam ostentans erga Patrios Deos, avitamque religionem, etsi nullam legem adversus fideles confecerit. Edicta tamen Neronis non antiquavit, immo illis supplicia Christianorum accomodanda esse ratus est. Quare nostrorum multi capite obtruncati, Ignatius Antiochensium Episcopus (118) Romam traductus, et bestiis objectus, Rufus, et Zosimus Philippenses (119) interempti, reliqui in discrimen vocati, vel Idololatriae, vel necis. Haec, et alia innumera Christiani a Trajano accepta referunt, cujus exemplo obsequentes Rectores Provinciarum crudelitate, atque caede omnia impleverunt.

Christianum inquiri non licet, offerri licet, quasi aliud esset actura inquisitio quam oblationem. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum; qui puto jam non ideo meruit poenam, quia nocens est, sed quia non requirendus inventus est. » C. 2. Apologet. p. 26. edit. Havercampi jam cit. Non est autem denegandum, persecutionem sub Trajano *per singulas civitates populari motu adversus nostros excitatam esse*, ut ait Eusebius H. E. L. III. C. 32. p. 126. edit. Reading. jam cit., in qua teste eodem Eusebio l. c. Symeon Cleopae frater, alter Hierosolymorum Antistes, martyrii palma coronatus est. Vidd. Acta Martyrii S. Symeonis ap. Ruinart. p. 6. edit. cit. et pag. xxxv. Praef. ad Acta. Cf. Spedalieri c. Gibbon Part. 2. sect. 2. c. 5. pag. 55-60. et Halloixius in imagine Ecclesiae II. saeculi quam T. II.° praemisit illustrium Ecclesiae Orientalis scriptorum.

(118) Vidd. acta S. Ignatii Epis. Antiochen. et Marty. ap. Ruin. a pag. 7-23. edit. cit. Ignatius dictus fuit etiam Theophorus; vid. Euseb. H. E. L. III. c. 36. p. 131. edit. cit.

(119) Vid. Euseb. H. E. loc. cit. p. 132., et Ruinart. ad acta Maryris S. Polycarpi p. 29. edit. cit.

§. IX.

De Plinii epistolis, et Trajani rescripto.

Ardebat praeterea in Christifideles popularis furor (120), ex quo gravissimae etiam calamitates. Plinius, qui Provinciam Bithyniae regebat, post nonnullos e Christianis damnatos, alios e gradibus amotos, augescentem tamen in dies eorum numerum timens, ad Trajanum scripsit (121) qui utilius consilium capere vellet, cum nempe ageretur de non exigua hominum cujusque ordinis, aetatis ac sexus multitudine. Prohibita inter fideles, occisionem, moechiam, fraudem, et facinora hujusmodi, constantem tantummodo deorum contemptum, antelucanos in laudem Christi conventus reprehendendos esse, habebat Epistola. Hisce respondit Imperator (122) nullam de Christianis inquisitionem suscipiendam esse; sumenda vero supplicia, si accusati deos colere noluissent, rejiciendas omnino accusationes, quae ab ignoto proficiscerentur. At obtecta, minime autem sublata persecutio visa est: qui enim, ut intimum in Christianos odium cum juris exigentia conciliare studebat, neutri consu-

(120) Vid. nota sup. (117).

(121) Extat apud Cotelerium T. II. PP. Apost. p. 182. Amstelaedami 1724.

(122) Vid. nota super.

luisse deprehensus est; dignus propterea qui a Tertulliano in suo Apologetico vellicetur (123).

§. X.

De Hadriani Imperio.

Quamvis nulla lex ab Hadriano quoque, Trajani successore contra Christi sectatores prodierit uti testatur Tertullianus (124), non tamen incendiorum fax, quam primus in Ecclesiam intulit Nero, extincta est, neque ratio ulla Trajani rescripto mitior inita. Amplectebatur enim Hadrianus Trajani sententiam de Christianis non inquirendis, mulctandis tamen acerbissime, ubi Christum repudiare nollent (125). Hinc factum est, ut Sacerdotes ethnici plurimis reverentiae atque amoris testimoniis ab eodem honestati, hac aura utentes, plebem adversus fideles foverent, suadentes ut inter spectacula, et ludos praesertim, Christianos ad supplicia vocarent, quod elatis clamoribus, tumultuque incitato facillime per Praesides concedebatur. Quinimo cum, ipso Imperatore vel permittente, vel approbante, sive etiam monente, Christicolae in judicium incidentes supplicio objici solerent; hinc Christiani ab eo nihil non pertimescebant.

(123) C. 2. p. 26. vid. nota sup. (117).

(124) In Apologet. C. 5. p. 64 edit. cit.

(125) Vid. Euseb. H. E. L. IV. C. 9. p. 153. edit. cit. et Ruinart. contra Dodwellum in praef. ad Acta Martyr. §. III. n. 32. pag. xxxvii. ed. cit.

§. XI.

Apologiae pro Christianis.

Itaque a Quadrato Atheniensium Antistite, in quo Philosophorum doctrina, et morum sanctimonia elucebat, nec non ab Aristide Atheniensi Philosopho Orationes ad Imperatorem in suam aliorumque defensionem missae sunt, quibus cum epistolae quoque accessissent Serenii Graniani Asiae Proconsulis, aliorumque, qui Provincias tenebant, permotus Hadrianus, finem vexandi fecit, et Minutio Fundano Serenii Successori per literas imperavit, ne quis deinceps damnaretur, qui tantum christiani nominis accusatus esset, quod si quis calumniandi causa crimen cuique intendisse comperiretur, pro maleficii gravitate in eum Praesides modis omnibus animadvertendum curarent (126). Nullimode autem extinguebatur persecutio, cum enim leges Romanae Deorum cultum imperarent, patet Provinciarum Rectoribus ademptam non fuisse causam in Christianos animadvertendi.

(126) Ext. ap. S. Justinum M. in apol. I. p. 84. edit. Maurin. (Maran) Paris. 1742.; et ap. Euseb. H. E. L. IV. c. IX. pag. 153. edit. j. cit. Vid. Euseb. in Chron. p. 705. ad an. 127-129. aerae vulg. T. VIII. part. I. opp. S. Hieron. edit. Vallarsii. Hanc epist. illustrarunt Joan. Gerard. Vossius, Balduinus, Kortholtus, Decolonia, et Fabricius.

§. XII.

Status Christianorum sub Antonino Pio.

Extinctum Hadrianum secutus est Antoninus Pius, cujus imperii exordia calamitatibus Christianorum, ut incorrupta monumenta declarant, non omnino obsistere potuerunt. Etenim cum Gentiles Fidelibus Atheismi culpam impingerent, sic facili negotio, mutato culpae nomine eorum necem assequebantur. Quare mirum non est, multos ex Christianis, imperante Antonino, vitam amisisse quos inter Felicitas cum septem filiis insigni sanguinis triumpho honestata est (127), licet Matronae hujus caedes insano plebis furori melius, quam Imperatori tribuenda esse videatur; qui potius leniorem erga Christianos rationem, Thessalonicensibus, Atheniensibus, et Graecis omnibus imperavit esse adhibendam. Magno quoque aerumnarum impetu, ac vi pressi sunt Christicolae in Asia; oborto ibi terrae fremitu, ac motu, malorum causa in eos est rejecta. Dulcis tamen et praeclarae indolis Imperator persecutionis reliquias auferre conabatur. Porro cum Justinus Philosophus eximiam illam Christianorum defensionem Imperatori exhi-

(127) Vidd. Acta Martyr. Ruin. p. 25. edit. cit. et praefat. §. III. n. 35. pag. xxxix. ed. cit.

buisset (128), tanta hic admiratione erga religionem Christi, sublimitatem nempe dogmatum, moralis disciplinae praecepta, rituum observantiam, morum sanctimoniam captus est, ut non propensiorem animum solum Christianis ostenderet, sed in eorum etiam laudes concesserit. Justino itaque assensit Caesar, misitque literas ad Commune Asiae (129), quarum hic erat sensus, atheorum notam (130) non secus ac alia crimina nullo fundamento innixa a Christianis omnino esse ableganda, minime in eos animadvertendum, praeter facinora in Rempublicam, Christianorum accusatores, non vero Christianos ex praescripto etiam Hadriani patris sui poenis prosequendos esse.

(128) Vid. Apolog. Justini pro Christianis ad Antoninum Pium p. 44–87. edit Maur.

(129) Extat haec Epistola Antonini ad Commune Asiae in Apol. I. S. Justini edit. cit. p. 85., et ap. Euseb. H. E. L. IV. c. 13. p. 159. edit. cit. Non desunt, qui hanc Epistolam confictam putent, sed frustra. Sunt etiam qui non ab Antonino Pio, sed a M. Aurelio editam illam, credant, et hoc ex inscriptione, quae extat praefixa ap. Euseb. l. c. Nos vero, cum Tob. Godofrido Hegelmaiero in commentatione Hist-Theol. in edict. Imp. Anton. Pii pro Christianis Tub. 1777., pro certo habemus, non ab Eusebio, sed ab alio, nomen M. Aurelii praefixum huic Epistolae fuisse.

(130) Athei dicti sunt Christiani ab Ethnicis quia eorum Deos non colerent, ab Hebraeis autem quia male de Trinitate, et de Incarnationis doctrina Judaei sentirent. Cf. Mamachius T. I. pag. 110. Orig. etc.

§. XIII.

M. Aurelii Persecutio.

—

Otium quo per Antonini literas Christiani fruebantur, sustulit M. Aurelius Antoninus cognomento Philosophus. Is enim partim Philosophorum sermonibus inflammatus, partim Ethnicorum in Christianos tumultibus adductus, a primis sui imperii annis Christianos Romani Imperii, legibus puniendos esse decernebat. Omnia illico ex jussu Aurelii cesserunt, et ubique locorum in Christianos saevitum est (131): et Viennae praesertim ac Lugduni (132) in Gallia an. 177. innumeri Religionis nostrae caussa occisi sunt, ut ex Actis fide dignissimis apparet. Diuturnam autem cruentamque nimis hanc persecutionem fuisse, vel ex eo evincitur,

(131) Putat Dodwellus diss. XI. Cypr. Christianorum persecutionem sub M. Aurelio minime ab eo Imperatore excitatam, et paucos Martyres sub ejus imperio fuisse. Vid. Praef. gen. ad acta Martyr. Ruinartii pag. XLI. et seq. et pag. 60. Act. sinc. ubi de Martyribus Lugdunensibus, aliisque disputatur. Leg. Eusebius Hist. Eccl. lib. IV. cap. XXVI. pag. 189. edit. cit. a quo Melitonis Sardensis Apologia pro Christianis Imperatori oblata refertur, ita ut apertissime constet vere in nostros homines M. Aurelium egisse: ait enim Melito ad Imperatorem « *Quod si haec tuo jussu fiunt* etc. » Cf. etiam chron. Eusebii ad an. 172. T. VIII. par. I. pag. 724. opp. S. Hier. edit. Vallarsii.

(132) De Martyribus Lugdunen. et Viennens. vid. Euseb. Hist. Eccl. lib. V. cap. I. pag. 198. edit. cit. et cap. IV. p. 213. cff. Ruinartius loc. sup. cit. et Acta Ss. Ord. S. Benedicti sec. IV. part. II. pag. 575. Venet. 1738. et diss. Francisci Florii de Martyribus Lugd. Bonon. 1779.

propterea quia Melitonis Sardiarum Episcopi defensio pro Christianis nihil apud Imperatorem profecit, neque ab immiti illa ratione cessatum est. Et licet pariter nonnullorum vigeat opinio, M. Aurelium a nostrorum insectatione destitisse ex prodigio Christianis militibus immisso, qui ipsum plurimum contra Quados pugnantem adjuverant, impetrata divinitus de Caelo pluvia super legiones siti pereuntes (133), dicendum tamen est praesentissimi

(133) « Si literae M. Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur » ita Tertullianus in Apologet. c. V. pag. 63. edit. Havercampi, et in lib. ad Scap. c. IV. « Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbrem in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus, et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsae, tunc et populus adclamans Deo Deorum, Et qui solus potens in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit ». pag. 131. edit. Paris. 1616. Eusebius insuper Apollinaris et Tertulliani testimonium adducit pro rei veritate. Etenim post facti narrationem sic prosequitur « Ex his est Apollinaris: qui legionem ipsam cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo fulmineam ab Imperatore cognominatam esse scribit. Sed et Tertullianus ejusdem rei idoneus testis est in Apologetico . . . . scribit enim Marci gravissimi Imperatoris literas adhuc sua aetate extitisse, quibus testabatur, exercitum Romanum in Germania cum aquae penuria jam jam periturus esset Christianorum precibus esse servatum ». Euseb. H. E. L. V. c. V. pag. 215. et seq. edit. cit. cff. Chronicon Euseb. ad an. 176. T. VIII. part. I. opp. S. Hier. edit. Vallarsii; Gregorius Nyssenus in Orat. II. de Ss. quadraginta Martyribus pag. 937. T. II. opp. edit. Paris. 1615. nec non Orosius lib. VII. c. V. et Zonaras, Cedrenus, et Nicephorus. Non defuere etiam inter Christiani nominis hostes qui id narrarint, etsi aliis causis miraculum adscribant. Vidd. Xiphilinus Joannes in Historiis excerptis e Dione Cassio, ex interpret. Guilielmi

auxilii memoriam contempsisse, post enim quam subjugasset Quados, persecutionem eamque crudelissimam commovebat. Christianorum causam orarunt quidem Justinus (134), Apollinaris Hierapoli-

Blanci a Guilielmo Xylandro recognita, cum spicilegio Henrici Stephani Paris. 1592. Julius Capitolinus in M. Antonino Philosopho pag. 32. edit. Paris. 1620. Cl. Claudianus in Panegyr. de sexto consulatu Honorii Aug. v. 344. et seq. pag. 51. edit. Hambur. cum animadv. Barthii 1650. aliique. Videsis epistolam M. Aurelii Imp. ad Setum de qua Tertullianus in Apologet. loc. cit., in Apologia I. S. Justini M. pag. 85. et seq. edit Maur. Paris. 1742. ubi χάλαζα πυρώδης *grando ignea* quae in Romanos ὕδωρ ψυχρότατον *imber frigidissimus* erat, Romanorum hostes profligasse dicitur. Praeter adducta testimonia praesto sunt monumenta, nummi scilicet M. Aurelium vel Jovem Pluvium repraesentantes, atque columna quam adhuc Romae superstitem spectamus M. Aurelio Antonino dicatam Quadorum, et Marcomannorum pugnam exhibentem. Cf. F. L. Comes de Stolberg in op. jam cit. « Geschichte der Religion Jesu Christi pag. 121. T. VIII. Legio hujusmodi Christianorum dicta fuit *Fulminatrix*, quam nonnulli eruditi jam hoc nomine dictam fuisse putant. De hac legione Fulminatrice videri potest disceptatio inter Guil. Moylium, et Petrum Kingium ex anglico latine versa, et notis illustrata a Jo. Laur. Moshemio pag. 621. Lipsiae et Gorlitzii 1733 in syntagm. diss. ad sanctior. discipl. pert. Cff. dissertatio Herm. Witsii Aegyptiacis addita edit. Amstel. 1683. Jo. Frickius in disp. de legione fulminatrice, ext. pag. 539. operis inscripti - *Meletemata varia* - Ulmae 1756. Christophorus Cellarius in diss. Academicis diss. XIV. *de primo principe Christiano* pag. 314. et seq. Lipsiae 1712. Fabulosam Tertulliani narrationem putat Daniel Larroquanus *in adversariis sacris* ex schedis Matthaei Patris sui collectis et editis Lugd. Batar. 1688. Patronos utriusque sententiae enumerat Io. Alb. Fabricius *in salut. Luc. Evang.* Hamburgi 1731. pag. 138. et seq.

(134) In Apolog. Vid. Euseb. Hist. Eccl. lib. IV. cap. XVIII. pag. 179. edit. cit.

tanus (135), Athenagoras (136), et Miltiades (137) quibus ceterorum etiam studia frustra conjuncta sunt; cum Justinus, aliique Martyrum agonem subire debuerint (138).

§. XIV.

Status Christianorum post M. Aurelium ad decimum usque Septimii Severi annum.

Christianorum tranquillitati alias interturbatae minime obfuit (139) dominatio Commodi post M. Aurelium patrem, neque valde obfuisse existimamus consequentia usque ad Septimium Severum imperia. Verum secundo prope exeunte saeculo, cum L. Septimius Severus renunciatus est Impe-

(135) In oratione ad Imperatorem.

(136) In legatione pro Christianis ext. ad calcem opp. S. Justini pag. 279. edit. Maur. cit. Athenagoram Apologeticum scripsisse anno 177. putat non immerito Laur. Moshemius in diss. de vera aetate Apologetici, quem Athenagoras scripsit ext. pag. 272. T. I. dissertt. ad Hist. Eccl. pertinent. Altonae, et Lubecae 1767., et optime doctissimus auctor concludit hisce verbis « vacillat Dodwelli tantopere sub eo (*Marco scilicet Aurelio*) jactata martyrum paucitas, quippequae praecipuo quodam praesidio orbata est. Liquet eodem tempore quo in Gallia, aliisque in Orbis partibus vim Christi sectatoribus illatam esse. Confirmata denique est novo argumento tempus Lugdunensis afflictionis . . . . » pag. 319.

(137) In Apologet. vid. Euseb. Hist. Eccl. L. V. c. XVII. pag. 233. edit. cit.

(138) Legatur Eusebius Hist. Eccl. lib. IV. c. XVI. p. 174. edit. cit.

(139) Ut ait Eusebius Hist. Eccl. lib. V. c. XXI. pag. 239.

rator, res ad infortunium redierant (140). Hic quidem aequum animum Christianis praeferre, decem circiter annis visus est, quippe qui eximias eorumdem matronas, perillustres cives, nulla injuria, pluribus contra honorificis testimoniis affecerit, popularibus ausis obstiterit, aliaque benemeritus sit; superat nihilominus, et nos permovet ingens veterum Scriptorum numerus qui legum anteriorum, et Praesidum potestatem infensissimam nostris extitisse conqueruntur. Ad haec de Scillitanorum caede, qui passi fuerant anno 200. Clemens Alexandrinus (qui ante an. 202. cum videlicet nil crudele in Christianos Severus cogitaret, stromatum libros exarabat) Christianum sanguinem fontibus exundantem sibi quotidie ante oculos proponi conscripsit. Argumenta porro, quae efficiunt, ut credamus cum Moshemio nonnisi an. 198. quarto anno prius quam Severus in Christianos animadvertere caepisset, Tertullianum Romani Imperii Praesidibus, supplicem pro Christianis libellum obtulisse, argumenta illa inquam efficiunt antequam vulgata a Severo edicta fuissent, plurimorum vitam dum ille dominaretur pro religione tuenda, fuisse projectam (141). Anno autem 202. cum latae a Severo leges fuissent, quibus vetabatur, ne quis Majorum Religionem cum Christiana, aut cum Ju-

(140) Eusebius Hist. Eccl. lib. VI. c. I. pag. 257.

(141) Vid. diss. Jo. Laur. Moshemii de aetate Apologetici Tertulliani pag. 9. T. I. dissertt. ad Hist. Eccl. pert. edit. sup. cit.

daica commutaret, crudelissima in Christianorum Rempublicam tempestas exorta est (142); et tunc per omnes Ecclesias in Aegypto praesertim effectum est ut *ab Athletis pro pietate certantibus illustria martyria peragerentur*. (ut ait Euseb. H. E. L. vi. c. 1.)

§. XV.

Martyres sub Severo.

Fidelium vulnera tam alte immaniterque repetita sunt, ut Judas Christianus Severo coevus instantem Antichristum praetimuerit: id metus, id terriculi persecutorum furore debacchante animos invaserat. Inter multos, ad diram mortem rapti sunt Leonidas Origenis pater, Potamiaena virgo (143), Marcella, Perpetua et Felicitas (144), Christianis vi-

(142) Ad an. 202. vel 203. referri possunt verba Hieronymi dicentis « Origenes, qui et Adamantius, decimo Severi Pertinacis anno adversum Christianos persecutione commota etc. – in lib. de viris illustr. pag. 891. C. LIV. T. II. Par. II. Opp. S. Hier. edit. Vallarsii j. c. – Eodem tempore, *ait Eusebius*, alius quoque scriptor Judas de septuaginta apud Danielem septimanis disserens ad decimum usque annum imperii Severi supputationes temporum perducit. Qui etiam decantatum illum Antichristi adventum jam tum imminere aestimabat. Adeo commota tunc adversus nostros persecutio, multorum animos vehementer conturbaverat » Euseb. H. E. L. VI. cap. VII. pag. 264. edit. Cantabr. j. c. Cff. cap. I. ejusd. libr. pag. 257. et chron. S. Hier. interp. ad an. 203. T. VIII. Par. I. opp. S. Hier. edit. sup. cit. pag. 736.

(143) Vid. Euseb. H. E. Lib. VI. C. V. pag. 262. edit. cit.

(144) Cff. Acta Martyrum sincera Ruinartii pag. 120. et seq. edit. Amstel. 1713. De martyribus Perpetua et Felicitate vidd. acta sincera Ruinartii pag. 92. edit. cit.

vente Imperatore temperatum non fuisse, omnino credendum est, quandoquidem anno CCXI. in compedibus adhuc detinebatur Alexander antistes Hierosolymitanus, et sex a Tertulliano (*ad Scap. c.* 4.) memorantur Praefecti in Africa adversus Fideles incolas truculentissimi (145).

(145) Adversus Dodwellum paucos Martyres sub Severo passos scribentem videatur Ruinartius in Praefatione Generali in Acta Martyrum §. III. pag. XLV. edit. sup. cit. Neque credibile est quod habet Dodwellus, sedatam scilicet fuisse persecutionem anno circiter 12. Severi, occasione arrepta ludorum saecularium, *ne tanta solemnitas cruore macularetur* ut ipse ait. Etenim, ne Dodwello quidem inficiante, nemo est qui ignoret ludos publicos causam saepe saepius fuisse persecutionum. « Propterea igitur (inquit Tertullianus) publici hostes Christiani, quia Imperatoribus, neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant; quia novae religionis homines etiam solemnia eorum conscientia potius, quam lascivia celebrant. Grande videlicet officium focos, et toros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernae habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per dedecus publicum? Haec ne solemnes dies Principum decent quae alios dies non decent? Qui observant disciplinam de Caesaris respectu, hi eam propter Caesarem deserent? et malorum licentia pietas erit, occasio luxuriae Religio deputabitur? O nos merito damnandos! cur enim vota et gaudia Caesarum casti, et sobrii et probi expungimus? cur die laeto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solemnitate publice exigente induere domui tuae habitum alicujus novi lupanaris » Tert. in Apologet. c. XXXV. pag. 292. et seqq. ed. Havercampi l. c.

§. XVI.

Conditio Christianorum usque ad Maximinum.

Septimio Severo extincto, subsequentibus Imperatoribus ad Alexandrum Severum, Christiani ubicumque quidem mitiori, multis vero regionibus, prospera etiam fortuna usi sunt. Alexandro autem moderationem aequitatemque animi pro Religione Christiana tribuerunt nonnulli contendentes, exhibuisse cultum Christo in Larario suo, templumque illi dicare in animo habuisse: quae non videmus conciliari omnino posse cum veterum monumentis plures veluti digito ostendentibus Martyres (occurrunt statim Calepodius, Caecilia Virgo, cum Valeriano et Tiburtio altero viro, altero fratre suo) (146) quos popularis invidia, et Praesidum conniventia valde exagitavit. At nullus immanis modus sub Maximino Imperatore, qui in familiam Alexandri magna ex parte nostrae religioni obstrictam capitali odio aversabatur; quique multos cruci suffigi, belluis recens occisis includi, rabidis feris exponi fustibus mulcari jussit (147). Ita Tyranni edictum

(146) De Alexandri Severi Aug. propensione in Christianos vid. diss. VIII. operis inscripti - Acta Martyrum ad Ostia Tiberina pag. 195. Romae 1795. - Quoad martyrium S. Caeciliae cff. Annales Eccl. Baronii cum critice Pagi pag. 510. ad an. 232. T. II. edit. Lucae 1738. Legatur opusc. cui titulus « *Gli atti di S. Cecilia V. e M. tradotti dal latino in volgare. Roma* 1775.

(147) Vid. Eusebius H. E. lib. VI. C. XXVIII. pag. 293. edit. cit.

contra Episcopos, praecipuos nempe Evangelii praecones tantummodo latum (148), postea a Deorum Sacerdotibus, et ab incitata plebe in cruentae, intermixtaeque caedis tutelam acceptum est (149). Verum occiso ad Aquilejam Maximino (150), sub Gordianis, et Philippis, procellaque illico sedata, tranquilla serenitate, haud exiguo annorum intervallo, Ecclesia usa est.

§. XVII.

Persecutio Decii.

Defecit pax, et tranquillitas cum summa potestas ad Decium Trajanum anno 249. devenisset. His aut ob succrescentem in dies Fidelium numerum, aut ob tenacitatem patriae religionis, aut demum quia Philippis sibi invisis Christiani gratificati essent, per cruentissima Edicta necem minatus est Praesidibus, nisi Christianos omnes vel a stirpe evertere, vel quolibet plagarum genere ad gentilem

(148) « Persecutione excitata solos Ecclesiarum Antistites, utpote Evangelicae praedicationis auctores, interfici jussit. » ita Euseb. H. E. loco cit.

(149) Crudelitatem Maximini etiam in suos actam describit Capitolinus in Maximinis pag. 141. edit. Paris. 1620. Quoad martyres sub eo effectos Cf. Ruinartius in praef. gen. pag. LI. edit. cit.

(150) Vid. Chron. Euseb. alias cit. ad ann. 239. 240. pag. 744.

cultum pertrahere contendissent (151): Episcopos omnes comprehendi voluit, cunctantesque supplicio affici: infensissimus homo Ecclesiae ipsius excidium ab extirpatione Pastorum sibi pollicebatur. Atque ut quoslibet Christicolas cruenta vexatio complecteretur, Urbibus oppidisque omnibus indixit, civium et incolarum censum per schedulas palam exhibitas, ut singuli viritim advocarentur, diesque statueretur, quo in Magistratus ipsius conspectu numina gentilia forent sacris colenda. Unde Christiani cum turpissimae defectionis notam perhorrescerent, vel idolis obsequium denegare, vel delitescentes, professionem suam aperire cogebantur.

(151) Sunt qui Philippum ex Christianis primum Imperatorem volunt « Interea (*ait Eusebius*) cum Gordianus sex totis annis Romanum imperium administrasset Philippus una cum Philippo filio in ejus locum successit. *Hunc utpote Christianum*, fama est in postrema Paschae vigilia precationum in ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse: » Euseb. Hist. Eccl. lib. VI. c. XXXIV. pag. 298. edit. cit. Legatur diss. X. de Hippolyti relegatione in Sardiniam cum Pontiano M. Pont. Max. cap. III. pag. 298. operis j. c. - Acta Martyrum ad Ostia Tiberina. Videsis disputationes Historicas Antonii Sandini diss. VI. de primo Imperatore Christiano - pag. 62. Ferrariae 1771. De Decii autem persecutione cff. Eusebius Hist. Eccl. Lib. VI. cap. XXXIX. pag. 301. edit. cit. Chron. Euseb. ad an. 254. pag. 748. edit. cit. Vallarsii ubi martyrium S. Laurentii falso adnotatur sub Decio, quod sub Valeriano evenit, ut optime probat Baronius notationibus ad Martyrolog. Rom. ex tempore passionis S. Sixti R. P. pag. 391. Romae 1630. Vidd. Acta sincera Ruinartii edit. cit. pag. 189. Martyrum numerum sub Decio imminuere frustra conatur Dodwellus in diss. alias cit. cff. Lactantius Firm. in lib. de mortibus Persecut. cap. IV. pag. 188. Tom. II. Lutetiae Paris. 1748. a quo vocatur Decius *execrabile animal.* Ruinartius in Praef. ad acta Martyr. §. III. pag. 53. edit. cit.

§. XVIII.

Lapsi sub Decio.

Quod si id a Decio effici non potuit, ut mortis et poenarum metu deleretur Christianum nomen, non pauci tamen in obligationibus declinaverunt (152); plures cujuscumque caetus Deciano furore erumpente reperti sunt, qui Romanorum Diis, vel victimas immolarent, vel thus adolerent, vel sacros Codices, et vasa, quibus Fideles in mysteriis suis utebantur, suppliciorum metu traderent, unde sacrificatores, thurificatores, consignatores designati sunt. Quibus genus aliud se adjunxit eorum scilicet, quos veteres appellarunt Libellaticos (153), qui a crucia-

(152) Vid. Eusebius Hist. Eccl. lib. VI. cap. XLII–XLIV. pag. 308 et 318. Cyprianus in epistolis; et in lib. de lapsis pag. 183. edit. Paris. 1726. ait « Ad prima statim verba minantis inimici maximus Fratrum numerus fidem suam prodidit; nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. . . . Exciderunt quibusdam, proh nefas, omnia et de memoria recesserunt. Non expectaverunt saltem ut ascenderent apprehensi ut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti . . . . *et pag. seq. sic prosequitur* Et ideo Dominus in persecutione secedere, et fugere mandavit, atque ut id fieret et docuit, et fecit . . . . Qui autem cum non secederet cecidit negaturus remansit. »

(153) Vid. epist. XIII. Cypriani ad clerum de his qui ad pacem festinant. pag. 22. et seq. edit. cit. Paris. Cf. Praefatio in opera S. Cypriani cit. edit. ubi de disciplina Cypriani disseritur quoad libellaticos pag. XXVII.–XXIX. In quo autem positum fuerit eorum crimen qui libellatici dicti sunt, videri potest in vita S. Cypriani ejus operibus praefixa cap. VI. pag. L. cit. edit. Paris.

tibus refugientes, sibique ipsis diffidentes, instabant apud Magistratus, ut per pecuniam Libellos ad evadenda supplicia concedere vellent, per quos simulate testabantur se idolis sacrificasse.

§. XIX.

Persecutio sub Valeriano.

—

Decii interitus Christianorum clades non sustulit; sed neque Gallus successor, neque filius hujus Volusianus sustulerunt; quinimo cum praeter res multas adversas, tabida etiam pestis Romanorum imperium inficeret, carceribus aliisque aerumnis in fideles a sacrificio Apollinis abhorrentes saevitum est. Hujusmodi porro impetus cohibebat anno 254. Valerianus Imperator, magna sui imperii initio usus in Christianos benignitate: at deinde mentem mutavit suasore Macriano (154), cui primum rerum ministerium detulerat. Legem itaque contra Christianos jussit, qua eorum conventus interdicebat. Episcopi una cum ceteris Doctoribus exsilio mulctabantur; neque hac re contentus, alterum longe severius edictum contra eos fecit, post cujus in pro-

(154) Vel ut ait Dionysius apud Eusebium lib. VII. cap. X. pag. 331., « Magister, et Archisynagogus magorum Aegypti ei (Valeriano) tandem persuasit ut ab hoc instituto descisceret; jubens ut castos quidem et sanctos viros persequeretur atque occideret, quippe qui scelestis, ac detestandis incantationibus adversarentur, atque obstarent ».

vinciis promulgationem incredibile est, quantus Christianorum numerus dolo, malisque Aulicorum artibus fuerit immolatus, quantique ex nostris in omnibus Romani imperii partibus poenis fuerint affecti, morte ipsa gravioribus (155). Praeclarissimi illius aevi Martyres habentur Cyprianus Episcopus Carthaginiensis, Xistus Romanus Pontifex, et Laurentius Romanae Ecclesiae Diaconus (156).

§. XX.

Christianorum Status ante Diocletianum.

Vertente anno 259. cum Persae Valeriano potiti essent (157), quievit Ecclesia per Gallienum (158): per Macrianum autem cui Aegyptus obtemperabat filiorum cruciatum deflevit. Gallienus omnem auferens vim paternis Decretis contra Christifideles, Ecclesiae vulnera sanavit (159), at plures, iique non

(155) Cf. Epistola LXXVII. S. Cypriani ad Nemesianum, et ceteros martyres in metallo constitutos. pag. 158. edit. Paris. j. cit.

(156) Vidd. Acta sincera martyr. ap. Ruinartium pag 187-217. edit. Amstel. 1713.

(157) Vid. chron. Euseb. alias cit. ad an. 260. pag. 752. T. VIII. opp. S. Hier. edit. Vallarsii.

(158) Vid. chron. ut sup. ad an. 262. pag. 753.

(159) « Verum Valeriano non multo post a barbaris capto et in servitutem redacto, filius ejus Gallienus solus imperium obtinens, moderatius se gessit; missisque edictis, persecutionem adversus nostros commotam sedavit; utque religionis nostrae antistites secure deinceps munus suum obirent, hujusmodi rescripto praecepit. Imperator Caesar etc. » ita Eusebius Hist. Eccl. lib. VII. cap. XIII. pag. 339. et seq. edit. Cantabrig. j. c.

ignobiles sub Claudio Gothico martyres facti sunt, in quibus notandi praecipue occisi ad Ostia Tiberina (160), nec non Severa cujus Epitaphium illustratum refert Antonius M. Lupi (161); quamvis ad graviora sub Gallieno non itum sit. Instauravit quidem in eos bellum quinto Imperii sui Anno Aurelianus, qui tamen quae minatus fuerat, haud per-

(160) Vid. de Magistris – Acta Martyrum ad Ostia Tiberina Romae 1795. ubi de universa persecutione sub Claudio Gothico eruditissime disseritur.

(161) Inscriptio hujusmodi latina notis graecis scripta, minio signata inventa fuit via Salaria in Caemeterio Ss. Thrasonis et Saturnini, ad Loculum cruento vase signatum. An. 1730. mense Decem. quam operae pretium ut referatur exposcit, una cum Antonii Lupi lectione.

COSVLE . CLVDIO
Console Claudio

ED . PATERNO . NONIS
Et Paterno Nonis

NOVEMBRIBVS . DIE . VENERES . LVNA XXIIII.
Novembribus die Veneris Luna vigesima quarta

LEVCES . FELIE . SEVERE . CARESSEME . POSVETE
Leuce Filiae Severae Carissimae posuit

ED . ISPIRITO . SANCTO . TVO
Et Spiritui Sancto tuo

M****TVA . ANNORVM . S̄L
Mortua (forte) *Martura Annorum Triginta duorum*
(vel) *triginta sex etc.*

ED . MESORON . XI . DEVRON . X .
Et Mensium undecim, Dierum Decem.

Vidd. Dissertatio et Animadversiones ad Severae Martyris Epitaphium. Panormi 1734. pag. 6., et Acta Martyrum ad Ostia Tiberina sup. cit. pag. 21.

ficere potuit, cum statim dolo Mnesthei secretorum notarii fuerit occisus (162). Neque enim longinquiores Provinciae sanguinolenta scripta receperant cum Anno 275. ipse perimeretur in Thracia (163): tempore autem quod intercessit Aureliani mortem inter et III. saeculi exitum, si nonnullas Praefectorum injurias, et molestias excipias, Christi cultores tranquillitate, et pace fruiti sunt.

§. XXI.

Diocletianea Persecutio.

Saeculi IV. exordio Romanorum Respublica quadruplici dominatu discerpebatur, cum eam haberent Diocletianus, et Maximianus Herculius, qui potiori auctoritate praediti Augustorum nomine decorati erant, et qui minores, Caesares appellabantur, Constantius Chlorus, et Maximianus Galerius. Cum itaque hisce Imperatoribus Christianorum res, et Fidelium multitudo in dies augerentur, Ethnici sacrorum Ministri, qui perniciem rebus suis fieri videbant, nihil intentatum reliquerunt ut Diocletianum excitarent, et omnigena calliditate faces illius furori adderent. Sed quoniam vix sibi

(162) Vidd. Vopiscus in Aureliano pag. 221. Historiae Augustae Scriptor. Paris. 1620; Lactantius in lib. de mortib. Persecutor. pag. 191. T. II. Lutetiae Paris. 1748. et Eusebius H. E. Lib. VII. Cap. XXX. pag. 364. edit. cit.

(163) Vid. Lactantius de mortib. Persec. pag. sup. cit.

quidquam polliceri poterant ab homine, qui licet nimia superstitione captus internecionem tamen abhorrebat, et populum quotidie crebrescentem verebatur (164), ad Maximianum Galerium confugerunt (165). Hic sacra quaeque despiciens Diocletianum circumvenire, et instantissime urgere, caepit quoad anno 303. (166) omnia ex ejus imperio Ecclesiae nostrae templa prostrata sunt, Fideles civicis juribus ablegati, decretumque, ut Sanctissimi Bibliorum codices flammis mandarentur. Impium facinus, infanda prorsus facinora provocare visum est, cum duplex Galerii fraude in Nicomediensi Palatio (167) incendium ortum esset, et tumultus in Armenia, et Syria submoverentur, quarum rerum auctores Christianos esse, hostes eorum Diocletiano

(164) « Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticulosus, animique disjectus, simul et exemplum Valeriani timens » ita Lactantius in lib. de Mortib. Persec. Cap. IX. pag. 196. cit. edit.

(165) Sic prosequitur Lactantius sup. cit. pag. 197. – eodemque (*scilicet in Bithyniam*) tum Maximianus quoque Caesar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum – (*idest* Diocletianum).

(166) Nempe anno 19. imperii Diocletiani. Vid. Eusebius H. E. Lib. VIII. c. II. pag. 378. edit. cit. Sulpicius Severus ita habet – Post eum (*scilicet Valerianum*), interjectis annis fere quinquaginta Diocletiano et Maximiano imperantibus acerbissima persecutio exorta, quae per X. continuos annos plebem Dei depopulata est. Qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore, orbis infectus est – Sulp. Sev. Hist. Sac. Lib. II. §. XLVI. pag. 405. et seq. edit. cum notis varior. accurante Georgio Hornio. Lugd. Batav. 1651.

(167) Vidd. Lactant. sup. cit. pag. 200. et Eusebius H. E. Lib. VIII. Cap. V. et VI. pag. 381. edit. cit.

persuadebant (168). Inde Christicolae omnes, nulla sexui, aetati, neque ipsis familiaritate aut cognatione conjunctis ratione habita, diris exquisitisque suppliciis traditi sunt, et cum magnus esset eorum numerus igne turmatim circumsepti absumebantur (169). Per literas etiam ad Herculium, qui in Italia versabatur, persecutionem in hac regione instruxit (170), et praeter Gallias quae Constantio

(168) Leg. Eusebius lib. VIII.

(169) « Vexabatur ergo universa terra, et praeter Gallias ab Oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant.

Non mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomine possim,

quas Judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt » ita Lactantius cit. lib. de mortib. Persecut. cap. XVI. pag. 202.

(170) Vid. Lactantius sup. cit. loco. Sub Maximiano Herculio Martyres memorantur Agaunenses, legionis scilicet Thebaeae qui ut fertur ad Lacum Lemanum ab Maximiano excitati ut Idololatricam lustrationem peragerent una cum reliquo exercitu, renuerunt illi ac Mauritius eorum Dux. Quapropter gladio interempti primum ii ex decem selecti, deinde alteri altero adjuncto, omnes crudeliter ob inviolatam Christi fidem martyrii gloria honestavit. Hanc passionis historiam nos ante sextum saeculum non legimus, nec apud Lactantium, Eusebium, Sulpicium Severum, Orosium et Prudentium, ceteroquin in colligendis Martyrum actis atque eorum gestis narrandis diligentissimos. Dixi ante saeculum sextum nullam mentionem fieri de hisce martyribus Thebaeis. Inter eos qui primum hosce martyres memorant adnumerantur auctor vitae S. Romani qui anno circiter 520. florebat, quam vitam eruit Petrus Franciscus Chiffletius S. J. Vid. praef. auctoris pag. 741. T. III. actor. Ss. Februarii a Bollandianis collector. Venet. 1736. S. Avitus Archiep. Vienn. (florebat an. 494) vid. fragmen-

Chloro viro in nostros mitissimo parebant, ab Oriente ad Occidentem tria hominum monstra cuncta miscuerunt (171).

tum VI. homiliar. octo, apud Gallandum Bibl. PP. T. X. pag. 747. Venet. 1774. Ruinartius in passione SS. Mauricii et socior. haec habet « Sed fragmentum integrum exhibendum est, quod ex antiquissimis in cortice exaratis schedis Bibliothecae Thuaneae descripsit vir sacrae antiquitatis studiosissimus Jacobus Sirmondus. Has autem schedas qui in Bibliotheca regia modo asservantur, vivente adhuc Avito aut saltem paulo post ipsius obitum scriptas fuisse affirmant qui eas inspexerunt viri peritissimi ». Ruin. in admonit. ad pass. SS. Mauricii etc. pag. 271 et seq. §. 2. edit. Amstel. 1713. et pag. 238. edit. Veron. 1731. S. Eucherius tandem passionem hor. Martyrum refert in Epist. ad Salvum. ext. T. VI. Septembr. Bollandianor. pag. 342. Antuerpiae 1757. et ap. Petrum Franciscum Chiffletium in Paulino illustrato pag. 86. et seq. Divione 1662. cf. Ruinartius loc. sup. cit. Legatur dissertatio Josesephi De l'Isle cui titulus « Defense de la verité du Martyre de la Legion Thebèene autrement de S. Maurice et de ses compagnons, A Nancy 1737. ubi plurima exponit quae notatu dignissima sunt, adversus diss. hist. crit. Du Bourdieu edit. Amstel. 1705. qui inter cetera vellicare studet authentiam actor. sup. cit. Eucherii aliorumque auctoritatem, qui vel Eucherium defendunt vel ex illius quacumque narratione veritatem facti concludunt.

(171) Post haec abeat Dodwellus impudentissimus, qui persecutionem Diocletianeam, nec saevissimam judicat, nec plurimos martyres effecisse. Argumenta enim ab eo proposita, fuisse scilicet Diocletianum a sanguine alienum, et non in laicos, sed in clericos tantum desaevisse, in eosque tantum festivis diebus et quidem in capitalibus tantum urbibus, egisse, argumenta inquam hujusmodi ex sup. dictis plenissime confutantur praesertim a Ruinartio in Praef. ad Acta. Martyr. pag. lxj et seqq.

§. XXII.

Post Diocletiani, et Maximiani abdicationem Christianorum conditio.

Interim cum, suasore Galerio, uterque Imperator sese Imperio abdicassent, aliter in Occidente, aliter in Oriente Catholici se habuere. In Gallia nimirum, Hispania et Britannia, quae Constantio Chloro subjiciebantur, nullimode perturbabantur Christicolae: quin etiam Constantii fortasse ejusdem auctoritate factum est, ut Severus Caesar, qui in Italiae Africaeque regimine se potius Constantio accommodabat, Christianis in iis Provinciis degentibus faciliorem se praebuerit ea facilitate, quae neque ab ejus indole, neque a Galerii mandatis proficisci posse videbatur. Constantio, et Severo vita functis primus Anno 306. alter 308. Constantinus, qui Constantio parenti successit, et Maxentius Herculii filius, qui interfecto Severo Italiae atque Africae ditionem sibi adsciverat, Christianos in Occidentalibus Provinciis omni plaga, omnique pavore exemerunt (172). Licet autem Maxentius novas Christianis inferendas injurias cogitaret, dum Constantinum illi faventem aggredi bello conaretur, anno tamen 312. consertis ad Pontem Milvium manibus Maxentius profliga-

(172) Vid. Eusebius Hist. Eccl. lib. IX. et X.

tus est, qui Ponte statim disrupto, et flumine Tyberis obrutus, nefarii ausus poenas luit (173).

§. XXIII.

Conditio Christianorum in Oriente.

Acerbiorem, quam antea unquam, agonem Christianis exhibebant Orientales Provinciae sub Galerio Augusto, et Maximino Daza Caesare (174); solatium allatum est anno 311. cum mense Aprili Galerius duro morbo conflictatus, et morti proximus omnem copiam Religionem suam profitendi Christianis dedit (175). Fatendum est quidem, impia Maximini mente, nondum etiam iis malis finem statutum fuisse; desiere tamen anno 313. postquam ille a Licinio fuit bello superatus. Tunc Constantinus, qui jam superaverat Maxentium, cum collega suo Licinio ipso, omnimodam nostris potestatem fecit suis legibus ac institutis vivendi, et eodem Anno 313. aliud Mediolani dedit edictum, quo expressius de Christianorum pace agebatur (176).

(173) Vid. Eusebius Hist. Eccl. lib. IX. cap. IX. pag. 450. edit. j. c.

(174) Leg. Eusebius Hist. Eccl. lib. VIII. de Martyribus Palaestinae.

(175) Vid. ut sup. Hist. Eccl. lib. VIII. cap. XVII. Cff. Lactantius lib. de mortib. persec. cap. XXXIV. pag. 229. edit. cit. Petavius de Doctrina temporum lib. XIII. pag. 406. ad an. Chr. 311. Veronae 1735.

(176) Vid. Euseb. Hist Eccl. Lib. X. cap. V-IX. pag. 480-493. edit. Cantabr.

§. XXIV.

Auctus Christianorum numerus in Persecutionibus.

Semen Christianorum erat Martyrum sanguis, et quo plures per omnes mortes exstinguebantur, eo plures veluti erupti surgebant, quod in causa erat ut homines se se cohiberent, et animadverterent nonnisi superna virtute tot virorum millia insignem hujusmodi mundi, vitaeque contemptum attingere potuisse. Immo confirmabantur magis magisque dum non solum in passione fortitudinem eximiam, sed in fortitudine ipsa alacrem, et gestientem animum cernerent (177). Ad hoc res Martyrum gestas, sive Acta diligenter inquirebant, et custodiebant, quorum tamen pauca, quae genuina essent, plurima e contra Ethnicorum fraudibus corrupta in manibus sunt. Collectiones duas dedit Eusebius, primam eorum, qui antiquitus, alteram eorum qui sua aetate Martyrium in Palaestina oppetivere; haec

(177) « Obstupescebant, aiunt, omnes qui aderant, cum illos viderent partim flagris ad intimas usque venas et arterias laniatos; adeo ut corporis membra penitus recondita, et viscera ipsa conspectui paterent: partim concharum quae buccina dicuntur testis et praeacutis quibusdam spiculis humi constratis superpositos, et omni suppliciorum, ac tormentorum genere excruciatos: bestiis denique ut ab iisdem laniarentur, objectos. Praecipue vero enituisse dicunt generosissimum Germanicum, qui divina adjutus gratia, mortis metum corpori a natura insitum superavit » ita Eusebius Hist. Eccl. lib. IV. cap. IX. loquens de Martyrio S. Polycarpi aliorumque Smirnae Martyrum, pag. 164. edit. cit.

incorrupta adhuc extat (178), illa vero gravi Ecclesiasticae historiae jactura deperiit, cujus pauca tantum supersunt collecta in codice syriaco a Stephano Evodio Assemano, et adjecta Actis Martyrum Orientalium et Occidentalium (179).

§. XXV.

Multitudo Martyrum.

Neque cum plura Martyrum nomina, et Acta desiderentur, quidquam contra eorum admirabilem

(178) Ext. ad calcem libri VIII. Hist. Eccl. edit. cit.

(179) Non omnes critici conveniunt in tribuenda Eusebio altera antiquorum Martyrum collectione. Qui hanc ab eo compositam dicunt ipsius auctoritate nituntur Hist. Eccl. lib. IV. c. XV. pag. 173. lin. 26. et seq. lib. V. in prooem. pag. 197. lin. 16-17. et cap. IV. pag. 214. in fin. Oppositam sententiam fortiter defendit Carolus Majellius Archiep. Emissenus in diss. praefixa actis Martyrum Occidentalium editis a Stephano Evodio Assemano Archiep. Apamensi. pag. 33. Part. II. Romae 1748. qui ait pag. 34. « Eusebius ipse pluribus in locis diserte quidem testatur, se Acta veterum Martyrum collegisse, eamque collectionem in publicam utilitatem edidisse, sed de antiquis martyribus se scripsisse, aut eorum Martyriorum historiam composuisse nusquam scribit. Nimirum in eo dumtaxat se operam posuisse testatur, ut Acta et Monimenta quibus essent consignata veterum Martyria, colligeret, eorumque collectionem emitteret ». ita laudatus Majellius diss. cit. Cf. Praefatio Generalis in Acta Martyrum Orient. et Occident. Steph. Evod. Assemani pag. XLV. Romae 1748. Acta martyrum sincera, et ab interpolatis distincta habes ap. Ruinartium Monach. Bened. Congr. Sancti Mauri, edita secundo Amstelaedami an. 1713., Quae editio recusa fuit Veronae an. 1731. ap. Joan. Albertum Tumermanum fol. additis Actis Ss. Firmi, et Rustici desumptis ex - *Istoria diplomatica* - Marchionis Scipionis Maffei Mantuae edita an. 1727. ubi acta citt. reperies pag. 299. et sequentibus.

multitudinem recte deducitur; sufficiunt enim ad eam evincendam, si reliqua argumenta praetermittimus, innumera vasa vitrea in Caemeteriis reperta ad sepulcra Martyrum, ubi a fidelibus apponi consueverant. Incredibilem quoque sacrorum cinerum copiam ante oculos Romae habuisse, asserit Prudentius (180), nec non et tumulos, quibus San-

(180) In Hymno XI. περι ςεφανων

« Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, et singula quaeris
Nomina? difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit
Quum coleret patrios Troïa Roma Deos.
Plurima litterulas signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, que solum significant numerum
. . . .
Sexaginta illic, defossas mole sub una
Reliquias memini me didicisse hominum:

ext. pag. 269. edit. Parmae 1788. T. I. opp. et in hymno II. περι ςεφανων vv. 541. et seqq. pag. 139. edit. cit. ait

Vix fama nota est, abditis
Quam plena Sanctis Roma sit,
Quam dives urbanum solum
Sacris Sepulcris floreat.

Sed qui curamus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videres coram possumus
Caelum intuemur eminus.

ctorum nomina inscripta essent. Et plurima apparebant sepulcra, Martyrum nomen, aut epigramma aliquod literulis quibusdam exprimentia, multaque requietioria hujusmodi numerum tantum praeferebant (181).

§. XXVI.

De Ethnicis, qui scriptis Christianos persequebantur.

—

Christi sectatores magna armorum et legum vi ab Imperatoribus, et Praesidibus concussos, Philosophorum sophismata ac cavillationes impetiere. Eos namque ex instituto oppugnavit Celsus Philosophus Epicureus, vel Platonicus (182) inanibus cavillis vel potius conviciis contendens, qui in Christianos, nec etiam sermonis lenitate (ut habet responsio Origenis) rei vel duritiem, vel tristitiam emollire conaretur (183). Aliquid etiam Fronto

(181) Contra Dodwellum multitudinem Martyrum primis Ecclesiae saeculis imminuentem videatur refutatio XI. dissertationis ab Ruinartio exarata; ext. in Praef. Gen. actor. Martyr. alias cit. De vitreis caemeterialibus, aliisque monumentis in Catacumbis inventis relate ad Martyres Vidd. Marangonius Muratorius, Lupius, Fabrettus, Bottarius et Aringhius, Boldettus et tandem Mamachius Orig. etc. T. I. lib. II. cap. VIII. §. III. pag. 459. et seqq.

(182) Platonicum fuisse, et ex Ammonii secta eum putavit Moshemius in Instit. H. E. Saec. II. Part. I. cap. II. pag. 68. edit. Helmstadii 1764.

(183) Legatur Origenes contra Celsum tum edit. cum notis Gulielmi Spanceri. Cantabrigiae - 1658. tum edit. Maur. alias cit.

Rhetor in eos pertentavit, cujus rei nemo praeter Minucium Felicem memoriam reliquit (184). Neque praetermittendus est Crescens Philosophus ex Cynicorum schola, cujus licet scripto consignatae insectationes non extent, extat tamen memoria asperrimae persecutionis, quae Justinum Martyrem usque ad necem imprimis divexavit (185). Non

(184) In Octavio pag. 35. edit. Lugd. Batav. 1652. - Et de incesto convivio (*ait Minutius*) fabulam grandem adversum nos Daemonum coitio mentita est ut gloriam pudicitiae deformis infamiae aversione macularet; ut ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandae opinionis averteret. Sic de isto et tuus FRONTO, non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut Orator aspersit - pag. autem 9. cit. edit. eum Crithensem appellat, quare a nonnullis dubitatur an Oratio Frontonis contra Christianos tribuenda sit Cirthensi de quo Minucius Felix, vel M. Cornelio Frontoni sub Hadriano, Oratori eximio a quo M. Aurelius et Lucius Verus eloquentiam didicerant. Vidd. Aulus Gellius lib. 2. c. 26. lib. 19. c. 8. et 10. Dio l. 69. M. Aur. vit. Sidon. l. 1. ep. I. Macrobius Saturnal. l. 5. c. 1. et Minutius Felix loco cit.

(185) Sic de eo loquitur Justinus in Apologia II. pag. 90. edit. Maur. j. c. « Ego etiam expecto ut ab eorum quos dixi aliquo insidiis appetar, et ad stipitem affligar aut certe ab illo strepitus, et ostentationis amatore Crescente. Neque enim philosophi appellatione dignus est: quippe qui de nobis ea publice testetur, quae prorsus ignorat: atheos, et impios esse Christianos, ad gratiam, et voluptatem deceptae plebeculae asseverans » Tatianus in Oratione contra Graecos sic de Crescente pag. 260. edit. Maur. sup. cit. post Justini dial. cum Tryph. « Vestri enim Philosophi tantum absunt ab hoc studio ut quotannis nonnulli a Romanorum Rege sexcentos aureos accipiant, nullam ad rem utilem, sed ne gratis barbam promissam gerant. CRESCENS quidem ille, qui in magna urbe nidum posuerat. . . . et omnino pecuniae studio attentus erat. Iste autem mortis contemptor ita mortem metuebat, ut eam Justino, non secus ac mihi, veluti malum aliquod, machinationibus inferre conatus sit. »

deest vero insanus ille Lucianus Samosatenus, qui in suis Dialogis augustiora Religionis dogmata, probabatioresque ritus in contemptum, immo vero in cachinnos traducere non dubitavit (186). Nihil religioni magis perdolendum quam impius fetus sub finem saeculi II. editus ab Ammonio illo Alexandrino ipsius Religionis transfuga. Ab eo enim junior Platonicorum familia origines suas repetit, qui institutum condidit ad Gentilium Numinum causam contra Catholicorum ictus propugnandam (187). Huic Platonicorum agmini praeibat III Saeculo post Plotinum (188), Porphyrius, cujus liber adversus Christianos, opus sane grande, deinde ex Impe-

(186) Natus sub Trajano, ad plenam senectutem vixit. Christianum fuisse, nonnulli credunt praesertim qui dialogum in morte Peregrini ei tribuunt, quem vero adjudicandum antiquiori ethnico S. Pauli aevo florenti, alii putant. Ejus opera graece et latine edida sunt Parisiis 1615. vid. n. nota (19).

(187) Vid. Eusebius H. E. Lib. VI. C. XIX. pag. 280. edit. cit. Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. Graeca Lib. IV. par. 2. c. XXVI. §. XI. pag. 159. Hamburgi 1711. ait « Plotini praeceptor a Porphyrio in vita ipsius, Ammiano Marcellino XXII. 16. et aliis dicitur Ammonius, Alexandrinus cognomento Saccas (Σακκᾶς) quod prior fuisset *saccarius* (σακκοφορος) ut notat Suidas in Πλωτῖνως, sive saccis frumenta transportando, antea victum quaesivisset etc. » Legatur, sed caute, quoad Ammonii placita dissertatio Jo. Laur. Moshemii de turbata per recentiores Platonicos Ecclesia. ext. pag. 89. diss. ad H. E. pert. vol. I Altonae et Lubecae 1767.

(188) Videsis editiones operum Plotini ap. Jo. Alb. Fabric. in Bibl. Graec. Lib. IV. C. XXV. §. IX. pag. 157.

ratorum decretis sublatus est (189). Ex putidissimis commentis quibus istiusmodi Philosophorum grex Catholicam veritatem obscurare nitebatur, hoc caput est, quod Christum Dei Unigenam operibus divinisque portentis insignem, cum veteris Philosophiae alumnis contulerit, hosque cum eo omnino comparandos plebeculae venditaverit; Cujus monstri, ut spectabilem quamdam faciem confingerent Porphyrius Pythagorae, Philostratus Appollonii Thianensis vitam sedulo conscripsit, et tamquam exempla reproposuit.

(189) Vid. Hieronymus in ep. LVII. ad Pammachium n. 9. pag. 313. in epist. LXX. ad Magnum Oratorem n. 3. pag. 427. edit. Vallarsii Tom. I. Par. I. nec non in ep. CXII. ad Augustinum n. 11. pag. 745. Par. II. Tom. I. et alibi ap. Hieronymum. Cf. dissertatio Lucae Holstenii de vita et scriptis Porphyrii Philosophi ext. in Bibl. Graeca Jo. Alb. Fabricii sup. cit. T. IV. Lib. IV. part. 2. pag. 207.

APPENDIX

DE JANI QUIRINI TEMPLO

ET

DE ANNO CHRISTI NATALITIO

Svetonius in vita Octavii Augusti Cap. 22. habet « Janum Quirinum semel ac iterum a condita Urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clusit » De situ Jani Quirini vid. Nardini et Nibby - *Roma antica - Roma* 1818. Tom. 2. p. 215. et seqq. nec non Nibby in opere - *Foro Romano - Roma* 1819. pag. 170. Christum nasciturum toto Orbe in pace composito a Prophetis praedictum fuisse fere omnium sententia est, praesertim legentium ea verba apud Psalmistam Ps. 71. *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis*: quae explicans D. Hieronymus ait: «hoc impletum fuisse tempore Augusti Caesaris, cum Dominus de thalamo virginali processit ». Ita etiam adimpletum est quod cecinit Isaias 2. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* (vidd. Critici Sacri Amstelaedami 1698. T. IV. annotata ad Esaiam Cap. 2. p. 37.) Vid. Isa. c. 32., Ps. 75. v. 3. de quo Hieronymus. Verba insuper prophetarum conferunt eruditi cum versiculo 1. cap. 2. Lucae ubi universi Orbis descriptionem designat Evangelista, (praeclarissimum, ut dicunt, pacis indicium) et haec omnia concordare student cum Svetonii verbis supra relatis. Vid. Masson in cit. op. in n. nota (1), ubi refellit qui credunt pacem toto Orbe terrarum sub tempus Servatoris N. natale stabilitam fuisse; ex quibus epocham alii definiunt qua Christus natus est. » Pacem, (ita Norisius contra Keplerum, in Cen. Pis. Diss. 2. c. 10. extat Tom. VIII. Thes. Burmanni part. III. Lugduni Batavorum 1723) in Orbe Romano praesertim, fuisse Christo nascente, Patres concordi sententia tradidere. Etenim Origenes ait « Deus enim cum gentes ad ejus doctrinam praeparatas

vellet, providit, ut uni Romanorum Imperatori parerent, ne si plures essent Reges, gentesque essent a se invicem alienae, difficilius Apostoli exequerentur id quod illis a Jesu praeceptum fuit his verbis *Euntes docete omnes gentes* (Matt. 28. 19.). Atque etiam constat Jesum natum esse sub Augusto, qui in unum regnum maximam hominum, qui in orbe terrarum dispersi sunt, multitudinem veluti consociaverat. Regnorum enim multitudo impedimento fuisset, quominus in totum Orbem doctrina Jesu disseminaretur. Id efficitur, cum ex iis, quae jam diximus, tum inde maxime, quod pro Patriae defensione belli gerendi necessitas fuisset; ut paulo ante Augusti tempora, superiusque factum fuerat, quando ut Peloponnesios inter et Athenienses, sic inter alias gentes bellum esse opus fuit. Quomodo igitur pacifica haec doctrina, quae ne inimicorum quidem injurias ulcisci permittit potuisset invalescere, nisi toto Orbe adventus Jesu, placatis animis, composuisset « Orig. c. Celsum T. I. opp. lib. 2. pag. 412. edit. Maurinae. Eusebius vero postquam Religionem Christianam divinitus universis hominibus oblatam fuisse demonstraverit, eamque hostium oppositione, et temporum acerbitate jactatam, tamen illustriori splendore, majoribusque ornamentis adauctam descripsit » divinae profecto, *ait*, arcanaeque potestatis id fuit, ut simulatque Verbum illius, deque summi unius tantum Dei, qui rebus praeesset omnibus, principatu doctrina proponeretur, continuo genus hominum in integram libertatem cum a fraudolenta daemonum efficacitate, tum a multiplici gentium dominatu vindicaretur. Praesertim cum sexcenti olim Reges singulis in nationibus; in urbibus autem ac regionibus imperium infiniti Reguli obtinerent, aliique populi, Tyrannorum alii, alii denique plurium dominatu premerentur: cumque inde omnis generis bella, ut par erat, existerent, commissis inter sese gentibus, vicinosque populos infestis semper armis petentibus, mutuasque vicissim clades stragesque subeuntibus, quod mutuos alios alii obsidionibus incursionibusque vexarent ex quo proinde fiebat, ut non ii modo, qui civitates incolebant, sed etiam ii, qui in agrorum ac terrae cultura versabantur, rem militarem jam inde a pueris addiscerent, gladiosque continenter ac vulgo per vias publicas, pagos agrosque et rura gestarent. At vero cum sese primum Christus ostenderet (de quo Prophetae olim ista cecinerant (Isa. 2. 4.) *orietur in diebus ipsius justitia, et multitudo pacis: et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, non sumet gens adversus gentem*

gladium, nec discent amplius bellum gerere) oraculorum veritatem continuo rerum exitus comprobavit. Etenim multiplex ille Romanorum principatus illico sublatus est, cum Augustus sub ipsum nostri Servatoris adventum summam rerum unus accepisset. Ex eo vero tempore » etc. . . . Euseb. Pamph. in Praep. Evang. lib. I. c. 4. pag. 10. edit. Paris. 1628. Eadem leguntur apud Eusebium ipsum in Demonst. Evang. qui, exposita mirabili Christianae Religionis propagatione per Jesu discipulos, ait « Caeterum quis non obstupescat, secum cogitans, atque animo versans non humanum hoc fuisse opus, vel ex eo, quod nunquam alias sub uno Romanorum imperio plurimae Orbis Gentes esse potuerunt, nisi secundum Jesu tempora? nam simul ac ille admirabiliter ad homines venit, atque inter homines versatus est, etiam res Romanas ad summum pervenisse contigit, quo primum tempore videlicet Augustus plurimarum gentium Dominus evasit. Id vero fuit cum et Cleopatra capta est, et Ptolomaeorum successio in Aegypto dissoluta, atque ex illo in hunc usque diem quod ab initio Orbis, et ab ipsa, ut ita dicam hominum origine steterat Aegypti regnum eversum est. Ex illo Judaeorum quoque natio a Romanis in servitutem redacta, Syrorum item, et Cappadocum, et Macedonum et Bithynorum, et Graecorum, ac denique reliquorum omnium qui Romano imperio cesserunt. Hoc autem non sine Deo una cum doctrina, quae de Salvatore nostro ferretur introisse in Orbem quis non fateatur? reputans non facilem Jesu discipulis externarum regionum peragrationem futuram fuisse, si gentes inter se divisae, discordesque fuissent... nunc autem hoc quoque supremi Dei fuit opus majori quodam terrore supremae alicujus potentiae proprii verbi inimicos habere jam domitos: » Euseb. in dem. Evang. L. III. c. 7. pag. 139-40. edit. Paris. 1628. Vidd. Hier. in Cap. 2. Isaiae. - S. August. L. 18. de C. D. c. 46. - Martyrolog. Romanum ad diem 25. Decembris. - Hanc opinionem impugnat adversus Bucherium, Norisium, Pagium, Joannes Masson in opusc. de templo Jani sect. 4. c. 4. - Keuchenius, et Bynaeus (de Nat. J. C. L. 1. c. 3.) qui putant per verba illa D. Lucae Cap. 2. vv. 1. *πασαν την οικȣμενην* (omnem (*terram*) habitabilem) haud esse intelligendum universum Romanum Orbem, sed Judaeam tantum. Eadem habet Henninghius apud Pitiscum in Lex. antiq. Rom. T. I. v. *Census* pag. 396. Venetiis 1719., qui unum asserit invenisse in Scriptura locum ubi *η οικȣμενη* (habitabilis) a LXX pro sola Cananaea intelligatur, idest Exod. XVI. 35. « Porro si

fuit totius simul Orbis Romani (descriptio) cur tanta res tam profundo silentio foret sepulta apud τȢς ἐξω (exteros Scriptores) » Idem sentit Laurentius Benedictus Triebelius (in diss. de Magis etc. extat in thesauro diss. Hasaei et Ikenii T. 2. p. 113. edit. Amstel. 1732. in nota) nec non Lardnerus in opere « Credibility of the Gospel History » -Par. 1. lib. 2. c. 1. pag. 267 et seq. Lond. 1827. - Quorum opinionem fortiter impugnat auctor Exercitationis de Divi Lucae verbis « *Exiit edictum* etc. Cap. 1. §§. 1. 2. 3. Carali 1796. De vario vocis οικουμενη sensu cf. Christ. Abrahamus Wahl » Clavis Novi Testamenti Philologica Vol. II. pag. 154. v. οικουμενη. Lipsiae 1829. Nihil prorsus adnotabimus de Jano Quirino, de ejus portis, deque more eas aperiendi vel claudendi; haec enim omnia omnibus nota legi possunt apud Livium et Plutarchum de Numa loquentes, a quo repetendus hic mos est. Dicam tantum sub Numa Jani portas clausas fuisse per annos XLIII. clausas insuper anno U. C. DXIX. Coss. T. Manlio Torquato C. Attilio Balbo II.; et apertas eodem anno fuisse tradunt nonnulli. Augustus eas clausit anno U. C. DCCXXV. Coss. Se V. et Sexto Apulejo post devictum Antonium, Romam vero idem Augustus rediens Cantabrico bello confecto, Jani templum clausit an. U. C. DCCXXIX. Coss. eo ipso IX et M. Junio Silano, ut ex Dionis libro 53., et ex libro 6. c. 21. Orosii eruitur. Clausisse tandem Augustum Jani templum circa tempus, quo Christus natus est (dum Augustus XII Cons. gerebat, ut nonnullis placet), etsi Dio taceat omnino, Orosius tamen qui ex veteribus id sumpserat, testatur l. 6. c. 22., cui auctoritatem detrahit Masson in cit. op. Sect. 1. c. 2. §. 8. Neque credendum clausum fuisse tertio Jani templum sub Augusto, dum ipse XI Consulatum peragebat. Etenim hujusmodi opinio male innititur inscriptione illa in Hispania reperta, quaeque extat apud Gruterum pag. CXLIX.

IMP · CAES · DIVI · F · AVGVSTVS · PONT · MAX.
COSS · XII · TRIBVNIC · POT · X · IMP · VIII.
ORBE · MARI · ET · TERRA · PACATO
TEMPLO · JANI · CLVSO · ET · REP · PO.
ROM · OPTIM · LEGIB · SANCTISS.
INSTIT · REFOR · VIAM · SVPERI
ORVM · COSS · TEMPORE · INCHO
ET · MVLTIS · LOCIS · INTERMIS
SAM · PRO · DIGNITATE · IMPERII
LATIOREM · LONGIOREMQ.
GADEIS · VSQ · PERDVXIT.

inventa Emeritae in Hispania in aedibus Ferdinandi Carra.

Nam primo haec inscriptio depravata invenitur apud Gruterum. Legendum esset juxta Norisium Coss. XI. et non Coss. XII, quando enim Augustus duodecimum gerebat Consulatum, ornabatur Tribunicia Potestate XVIII, quemadmodum adnotavit Norisius diss. II. Cap. X. de Cenotaph. Pisanis. extat in Thesauro Antiquit. et Historiar. Ital. per Graevium et Burmannum Tom. VIII. Part. III. edit. Lugdun. Batavor. 1723. Vide etiam Massonium Joannem in supracitata (p. h. 108.) dissertatione de templo Jani Sect. 3. cap. 4. §. 6. p. 106. Deinde ibi non designatur annus, quo Augustus Janum clauserit, sed elogium potius continetur rerum memorabilium Augusti, ut laudatus Norisius adnotavit loc. cit., ubi etiam varias producit lectiones Svetonii ex MSS. Mediceis quoad vocem ter clausit. Quidquid vero sit, apud eruditos tamen quaestio maxima agitatur de anno quo Christus natus est, etsi nihil notius, certiusque fieri oporteret. Haec questio nata est ex eo, quia apud Evangelistas characteres nonnulli describuntur anni Nativitatis Domini N. J. C. sed nimis generice. Lucas enim ait cap. 2. « Factum est autem in diebus illis Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus Orbis . . . . . cum essent ibi (Bethlehemi Joseph et Maria) impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum » Vide anonymam exercitationem de Divi Lucae verbis « *exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus Orbis* » Carali 1796. cujus auctor est F. Hyacyntus Hintz Ord. Praed. Natus igitur est Christus sub Caesare Augusto, sed annum imperii Augusti praetermisit Lucas. Hinc

est dubia et incerta connexio inter veram Christianorum aeram, et annos imperii Augusti Caesaris. Etenim ducitur imperium Augusti a caede Julii Caesaris A. U. C. 710. Varr.; a primo illius Consulatu, idest a Mense Sextili an. Varr. U. C. 711. Alii imperium Augusti signant Anno U. C. Varr. 712. Coss. M. Aemilio Lepido, et L. Munatio Planco, sub quibus annus I. Triumviratus Octaviani. Desumunt alii ab Monarchia introducta post devictum Antonium bello Actiaco, unde anni Actiaci, et post Alexandriam expugnatam An. Varr. U. C. 724.; ut ceteras omittam aeras, Augustorum A. U. C. 727. a caede Julii Caesaris 18.; Tribuniciae potestatis ab anno 731. Quae cum inter se maxime differrant, nequeunt apprime componi cum vera Christianorum aera. Eadem discrepantia oritur ex charactere nativitatis Domini ab Matthaeo designato c. 2. « Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Judae in diebus Herodis Regis » ibi annum Herodis Evangelista non indigitat, cumque duplex epocha Herodiani regni habeatur, facili ratione annus Christi natalitius definiri nequit. Epocha prior quando Herodes primum Romae ex S. C. Rex Judaeorum fuerat salutatus Octavii et Antonii Triumvirum favore. A Josepho haec narrantur " καὶ ὁ μὲν ὗτως (Ηρωδης) τήν Βασιλείαν παραλαμβάνȣ τυχὼν αὐτῆς ἐπὶ τῆς ἑκατοςῆς καὶ ὀγδοηκοςῆς καὶ τετάρτης Ολυμπίαδος ὑπατεύοντος Γαΐȣ Δομετιȣ Καλȣΐνȣ τὸ δεύτερον καὶ Γαΐȣ Ασινὶȣ Πωλίωνος ,, atque ita quidem ille (Herodes) regnum suscipit, illud adeptus Olympiade centesima octogesima quarta, Cajo Domitio Calvino iterum, et Cajo Asinio Pollione Consulibus,, (idest Olympiade CLXXXIV., vel CLXXXV. A. U. C. 714. Jul. 6.) Joseph. Fl. Antiq. Jud. Lib. XIV. c. 14. n. 5. extat pag. 728. Tom. I. opp. cum notis varior. Amstel. 1726. Vid. quoad voces τετάρτης Ολυμπίαδος, Langius, qui hanc lectionem defendit (lib. 2. cap. 18. de annis Christi, Lugduni Batavorum per Joannem Maire 1649.). Aegidius Bucherius mendosum declarat Josephi textum, in quo legendum, *Olympias* 185., non 184., nisi forte, ut ait, hanc Olympiadem 184 plane evolutam Josephus intelligat (in Belgio Romano Eccles. et Civ. Leodii 1655. lib. 2. cap. 6. sect. 1. col. 1. pag. 75). Haec docuit ante Bucherium Usserius (in Annalibus V. T.). Vid. etiam Norisius (diss. 2. de Cenotaph. Pisanis. p. 139. edit. cit.). Basnagius. Annal. Polit. Eccl. p. 16. col. 2. T. I. Roterodami 1706., ait « Olympiade CLXXXV. . . . . . ., corrigendus enim est Josephus, qui librariorum, ut existimamus, vitio habet: τῆς ρ

καὶ π καί δ Ὀλύμπίαδος centesima octuagesima quarta Olympiade ». Varias Scriptorum sententias componere videtur Fridericus Spanhemius his verbis « Quia vero horum Consulatus (nempe Domitii Calvini, et C. Asinii Pollionis) in fastis notatur ad Olympiadem CLXXXV; annum primum respexit Josephus ad principium Olympiadum, quod incidit in mediam aestatem, et sic consulatus a Kal. Januarii sequentis concurrit partim cum Olympiade CLXXXIV. partim cum CLXXXV. » Spanh. T. I. opp. C. XV. chronol. sacr. pag. 201. Lugd. Batavorum 1750. - Vid. etiam Petavius de doct. tempor. Tom. II. l. 10. p. 152. Veronae 1735. Altera Herodiani Regni epocha desumitur ab Hierosolyma expugnata, quando scilicet Herodes incaepit plenissime regno potiri. Vertebatur annus tertius, ex quo Romae Rex declamatus fuerat (Herodes) quando Hierosolymam obsidione cinxit, teste Josepho lib. I. de Bello Jud. C. 17. pag. 97., et lib. 14. Antiq. Jud. c. 15. pag. 735. edit. cit. « Haec Urbi Hierosolymitarum accidit clades Marco Agrippa, et Caninio Gallo consulibus Olympiade Centesima et Octogesima quinta Mense tertio, Jejunii solemnitate etc. » Ita Joseph. Antiq. Jud. Lib. XIV. Cap. 16. n. 4. pag. 737. edit. cit. Vide quoad regnum Herodis cit. Spanh., Petavium de doctr. tempor. T. II. lib. 10. pag. 152. sup. cit. - Norisium in Cenotaph. Pis. diss. 2. c. 6. p. 131. edit. cit. Circa annum mortuarium Herodis vide supracitatos Scriptores. Nec minorem praesefert difficultatem postremus Evangelistarum character anni natalitii Christi Domini. Lucas sane C. III. vv. 1. ait « Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Caesaris . . . . . vv. 21. factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et IESU baptizato . . . . vv. 23. et ipse IESUS erat incipiens quasi annorum TRIGINTA » hinc dubium an impletus fuerit an currens Tiberii Caesaris annns XV, dubium an hujusmodi epocha sit ab ejus imperio Proconsulari incipienda an. Aug LV. Aerae Christianae XI. dum in Augusti Collegam fuit assumptus, an ab Augusteo potius imperio sit inchoanda. Ut ceteros alios omittam characteres anni natalitii D. N. J. C., animadvertendum est, omnes eruditos ultro convenire vulgarem annum, seu communem, alias Dionysianum, cujus aera utimur, diversum omnino esse ab vero anno et proprio seu Incarnationis seu Nativitatis. D. N. J. C. Nos igitur tot sententiarum varietatem introspicientes, tot doctissimorum virorum eruditione commoti nullum judicium de hac re proferre audemus, et potiusquam hasce controversias, litesque componamus omnes, varias eruditorum opiniones referemus, ut unusquisque quid voluerit sequa-

tur. Et primo quidem anno U. C. IↃCCXX. an. Jul. 12. ante aer. Dionys. 34. CSS. M. Antonio iterum L. Scribonio, suffecto Antonio eadem die L. Sempronio Atratino. Per. Jul. 4680. Oly. 188. Imp. Rom. 10. Christum natum esse putat S. Petrus Damianus ut adnotavit Spanhemius in chron. sacr. Par. II. pag. 206. edit. cit. « Post passionem quippe Domini, (*ait S. Petr. Dam.*) quingentesimo trigesimo tertio anno, Paschalis solemnitas eodem mense, et die, et luna, eodemque currente qui primus quintus est contigit, primo novae Dominicae Resurrectionis anno contigerat: et hoc anno similiter fit . . . . qui millesimus sexagesimus quintus est similiter venit » Ex his verbis Spanhemius concludit, S. Petrum Damianum incepisse annos Domini a Passione, cumque ex hypothesi Christus passus est An. U. C. 753. die VIII. April. fer. VI. lun. XV. quod in annum incidit Christi XXXIII. Christus passus esset XIII. annis ante mortem Augusti, vel minimum XXXI. annis antequam sub Tiberio cruci fuisset affixus. Etsi vero hujusmodi falsa supputatio peracta esset a S. Petro Damiani, tribuenda potius temporum acerbitati, quam illius ingenio ceteroquin acutissimo; tamen adnotandum Spanhemium pro lubitu suo illam ducere conclusionem, incepisse scilicet Damianum annos Christi ab ejus passione. Eo enim loci S. Doctor ab Alberico rogatus, cur Paschatis festum eo anno (1065) incideret, eodem die, quo Christus resurrexerat, reponit, ut supra, sed nullo pacto eos excludens annos aerae vulg. a nativitate Domini ad ejus passionem praeterlapsos; quare Spanhemii conclusio mere gratuita dicenda est; nisi forte S. Doctoris verborum obscuritate fuerit deceptus, eo vel magis quia ignorare Damianus non poterat Christum baptizatum fuisse anno XV. imperii Tiberii Caesaris ut ex Evangelista Luca, c. 3. habemus, cujus 15. annus componi non posset cum anno U. C. 720. (vid. S. Petr. Dam. T. III. opuscul. xxxvii. pag. 327. edit. Paris. 1743.)

Censent Christum natum fuisse ann. U. C. 746. Jul. 38. ant. aer. Dionys. 8., Coss. C. Martio Censorino et C. Asinio Gallo, Per. Jul. 4706. Oly. 193. Imp. Romani 36. P. Dominicus Magnan Ord. Minim. asserens *Christum natum esse anno VIII ante aeram Dionys., quo census in Judaea est actus. Non ante, quia aut nullus omnino, aut nullus saltem a pluribus annis actus fuerat census in Judaea; non post, quia ab anno VIII. ad Herodis obitum nullus census in Judaea actus fuit, nec agi potuit.* « Haec ille in opere inscripto Problema de anno Nativitatis Christi Romae 1772. pag. 378.

An. U. C. 747. Jul. 39. ant. aeram v. 7. Css. Ti. Claudio Nerone Cn. Calpurnio Pisone Per. Jul. 4707. Oly. 193. 2. Imp. Rom. 37. Christum natum dicunt Florentius Vigorniensis et Nicolaus Mann in dissertationibus anglice scriptis, quas latine deinde reddiderunt; praesertim legendae sunt Nicolai Mann dissertationes » De veris annis D. N. Jesu Christi Natali et Emortuali diss. duae chronologicae in quibus tribus celebratissimis vaticiniis Jacobi Patriarchae Gen. XLIX. 10. Esaiae VII. 16. et Angeli ap. Danielem IX. 24 nova lux effunditur. Londini 1752 « Vide Ludovicum Boivin in Monumentis Regiae Academ. Paris. Inscriptionum.

An. U. C. 748. Jul. 40. a. aer. v. 6. Coss. Laelio Balbo et Antistio Vetere. Per. Jul. 4708. Oly. 193. 3. Imp. Rom. 38. Ita Kelperus in opusc. « de vero anno, quo aeternus Dei Filius humanam naturam in utero benedictae Virginis assumpsit » Francofurti 1614. 4.° - Ipse enim putat, Christum conceptum fuisse die xxv. Martii an. U. C. 748., et Johannem conceptum anno praecedente die xxiv Octobr. cum Zachariae familia iniisset vices suas ἐφημερίαν Num. 1, 53. 3, 28. Luc. c. 1. vv. 5. 8. מִשְׁמֶרֶת XVII Octobr. An. U. C. 747. Vide M. Ant. Capellum - de Caena Christi suprema deque praecipuis vitae ejus capitibus « Parisiis 1625, utrumque Pagium, Henricum Dodwellum diss. 1. in Irenaeum §. 46. pag. 83. Oxoniae 1689. Franciscum Blanchinium Godefridum Henschenium in exercitatione Theochronologica, extat in Conatu Chron. hist. ad catal. Pontificum Danielis Papebrochii pag. 18. Propylei ad Acta Sanctorum Maii. Antuerpiae 1742. Andream Zergol S. J. in Theorematibus chronologicis de anno ortus, et mortis D. N. J. C. Viennae 1725. Emmanuelem a Schelstrate diss. 1. Antiquit. illustra. c. 2. art. 4. Romae 1692. Auctorem dissertationis Romae editae an. 1718. de anno mense et die mortis Jesu Christi. Kock in diss. de anno Natali Jesu Christi ex annis regiminis Quintilii Varii ceterorumque Syriae Praesidum demonstrato, Helmstadii 1722. Camillum de Sylvestris chronolog. P. I. diss. 3. pag. 110. Lipsiae 1726. Aloysium de Jouard de la Nauze in diss. « Sur les années de Jesus-Christ » cujus excerpta leguntur in Historia Regiae Academiae in scriptionum ab an. 1731-33. Tom. V. pag. 142. Amstel. 1741. Antonium Mariam Lupi S. J. « Dissertazioni e lettere Filologiche antiquarie pag. xxxx. diss. I. Arezzo 1753. » ubi de anno et de die Nativitatis Jesu Christi disserit.

Christum natum fuisse vel anno U. C. 748 vel 749 docet Marius

Lupi in duab. diss. de notis chronologicis anni mortis, et nativitatis D. N. J. C. pag. 205. Romae 1744.

Anno U. C. 749. Jul. 41. a. aer. v. 5. Coss. Augusto XII, et Cornelio Sulla Per. Jul. 4709. Oly. CXCIII. an. 4., Augusti XXXIX. nativitatem Christi assignat S. Joh. Chrysostomus supponens conceptum fuisse Joan. Baptistam XXIV. Sept. Thisri X. a. U. C. 748. Oly. CXCIII. Hanc sententiam secuti sunt Liberius, Damasus RR. PP., Ambrosius et Constantinopolitani; defendunt Joan. Deckerius sub nomine Laurentii Svsliga Poloni - Velificatio seu Theoremata de anno ortus, ac mortis Domini, deque universa Jesu Christi in carne aeconomia Graecii 1605. - Dionysius Petavius - *De doctrina tempor.* T. II. lib. 12. c. 6. p. 227. Veronae 1735 - Jacobus Usserius in annal. pag. 564. Genevae 1722. - Jacob Tirinus in chron. sacr. T. I. Commentar. pag. 37. Lugduni 1706. - Henricus Norisius in Cenot. Pis. T. VIII. Par. 3. Thes. antiq. et hist. It. per Burmannum et Graevium pag. 184. Lugd. Batavorum 1723. - Michael Senescallius - Trias Evangelica de anno mense et die Christi nati, baptizati, et mortui, Leodii 1669. - quaest. 1. - Rigordius in diss. ad nummum Herodis Antipae 1689. - Pezron in historia Evang. 1695. - Heineccius (Joan. Gotlieb) in diss. de genuina Nativitatis Christi aera nummis et inscriptionibus antiquis illustrata. Halae 1708. - Vaillant in diss. quae extat in monumentis Regiae Acad. Paris. Inscript. - De la Barre in diss. cujus excerptum extat in suprac. T. V. Acad. Inscrip. p. 160. - J. G. Meyer in observationibus chronologicis circa computum aerae Christianae. Helmstadii 1732. - Thomas Vinc. Monelia in diss. - de annis Jesu Christi Servatoris. Romae 1741. - Mathias Purulich in diss. - de Pascha Christi ultimo. Tyrnaviae 1765. 8. c. III. art. XI. §. I.

An. U. C. 750. Jul. 42. a. aer. v. 4. Coss. C. Calvisio Sabino L. Passieno Rufo. Per Jul. 4710. Oly. CXCIV. Aug. XXXX. Christum natum esse docent Sulpicius Severus Hist. lib. II. pag. 383. edit. Lugd. Bat. 1654, cum notis varior. - Salamon Van. TILL. in dissert. parad. Theologico-chron. de anno, mense, et die nati Christi. Lugd. Bat. 1744, et Jenae 1740. - Marckius Joan. in diss. de natali tempore Servatoris. Lugd. Batav. 1716. - Bernardus Lamy in apparatu chronologico et geographico pag. 87. edit. Venet. 1735. - Renatus Jos. Tournemine in diss. chron. in novum systema ext. in supplem. ad Tom. II. Menochii in Scripturam. Luteciae Paris. 1719.

An. U. C. 751. Jul. 43. a. aer. v. 3. Coss. Cn. Cornelio Lentulo,

M. Valerio Messalino. Per Jul. 4711. Oly. cxciv. an. 2. Aug. vulgo xxxxi. Christum in mundum venisse putant inter veteres Irenaeus, Tertullianus, Clem. Alex. Maximus Monachus, G. Syncellus, Cedrenus etc. defendunt inter recentiores Baronius ad an. 1. Christi edit. Lucae 1738. cum critica Pagii Ant. - Josephus Scaliger - de emendatione tempor. - pag. 551. edit. Coloniae Allobrogum 1629. - Samuel Petit in Eclogis Chronologicis pag. 38. Paris. 1632. - Pererius, Tornielius, Sethus Calvisius in oper. chronolog. pag. 424. edit. Francofurti ad Maenum, et Embdae 1650. - Carolus le Cointe in Apparatu ad Annales Historico-Ecclesiasticos Francorum pag. 1. Paris. 1665. - Bynaeus - de Natali Jesu Christi libri duo, accedit dissertatio de Jesu C. Circumcisione. Amftel. 1689. - Gerardus J. Vossius in diss. de annis, quibus Christus natus, baptizatus, et mortuus; extat T. 1. opp. Amstel. 1701.

An. U. C. 752. Jul. 44. a. aer. v. 2. Coss. Augusto Caes. XIII., et M. Plautio Sylvano, eique suffecto C. Caninio Gallo. Per. Jul. 4712. Oly CXCIV. an. 3. Aug. XLII. natum fuisse Jesum affirmant *veteres* Epiphanius Haer. LI. et Haer. LXXVIII., Hieronymus, Orosius, Beda. *Recentiores* Freculphus, Sigonius, Panvinius, Temporarius, Montacutius, David Blondellus.

An. U. C. 753. Jul. 45. a. aer. v. 1. Coss. Cornelio Lentulo et L. Calpurnio Pisone. Per. Jul. 4713. Oly. CXCIV. anno. 4., Aug. XLIII. exortum Christum nobis fuisse tradunt Panodorus Mon. Aegyptius, Antiocheni, Chron. Alex., P. de Alliaco, Six. Senensis, Joh. Lucidus, in chronico pag. 113. 2. Ven. 1575., Alph. Salmero, Henr. Harviellaeus, Philip. Labbeus in Ariadne Chronologica, extat ad Calcem T. II. Chronici Technici quam postremam partem absolvit Philippus Brietius; pag. 601. Paris. 1670. et in Chronologia gallice exarata.

An. U. C. 754. Jul. 46. anno I. aerae Dionysianae (quam Beda perperam Dionysio Exiguo tribuit, quamque nos vulgo sequimur; Etenim magnam illam Periodum DXXXII. annorum, Victorinus Aquitanus multo ante Dionysium ediderat) Coss. Cajo Caesare (Augusti filio), L. Aemilio Paullo. Per. Jul. 4714. Oly. CXCV. Aug. 44. Jesum Christum natum tenent Henricus Philippi in introductione Chronologica pag. 63. Coloniae 1621. Ricciolus in Chronologia Reformata Bononiae 1669. « Schwarzius in Collegiis historicis. Petrus Allix in Diatriba de an. et mense nat. J. C. Londini 1709. Horrebovius in diss. de vindiciis aerae vulg. ext. T. IV. opp. Mathematico-Phisicor. an. 1731. Rondet in diss. gallice exarata de aera vulg. vindic.; et in al-

tera de cad. aer. justif. Extant in Paris. Diar. Eccles. Dinovartii T. XXXIV. Aliique. »

Haec sunt quae exponenda nobis erant circa varias eruditorum sententias de anno Christi Natalitio. Verum operae pretium ducimus breviter Henrici Sanclementii vulgaris aerae emendationis sententiam evolvere, quam exposuit eruditissimus ille Monachus Camaldulensis in opere inscripto – De Vulgaris aerae emendatione Libri quatuor. Romae 1793. in fol.

Cum Aera vulgaris exordiatur a Kal. Jan. anni Varr. 754. Imperii Octaviani Augusti XXXXV. nativitas Christi statuitur aut in anno 754. aut 753. juxta illam Dionys. aeram. (vid. Petavius T. II. de doctrina temporum pag. 370. Veronae 1735. Sanclementius vero natalem Christi assignat anno U. C. 747. a Palilibus ad Palilia ante aeram vulg. anno VII. (Lib. IIII. c. 7. p. 448.) Sic autem ratiocinatur. Christus natus non est nec post an. U. C. 749. nec ante 746., non post 749. quia ex Matthaeo, natus est regnante Herode Magno, atqui ex historia Evangelica exiguum temporis spatium minime intercessit inter Christi nativitatem, et mortem Herodis, hoc ex Magis, et ex infantium caede, immo Herodes post occisionem puerorum vixit saltem quinque adhuc menses; Herodes obiit anno U. C. 750. Mense Nisan (Lib. III. c. 9. p. 379. et seqq.) igitur post annum U. C. 749. Christus natus non est, secus evenire haud poterant inter Christi ortum et mortem Herodis quae de Magis, de Infantibus Evangelica tradit historia. Mortuum fuisse Herodem an. U. C. 750. constat ex Josepho asserente obiisse Herodem anno xxxvii. postquam a Senatu Romano Rex fuerat salutatus; hoc accidit Coss. Cajo Domitio Calvino iterum et C. Asinio Pollione anno scilicet 714. mortuus est igitur anno U. C. 750. Non autem post 750. hoc ex nummis Herodis Antipae Herodis M. filii, qui ab Octaviano Augusto Galilaeam, Peram, et Tetrarchiam obtinuit ad ea usque tempora, quibus ab Imp. C. Calligula fuit expoliatus, et in exilium missus. Hoc evenisse an. U. C. 792. Norisius demonstrat (in ep. de num. Herod. ad Pagium). In horum nummorum antica parte intra lauream coronam graece haec leguntur:

IN NUMMO

Rigordii	*Pellerinii*	*Vaticano*
ΓΑΙΩ	ΓΑΙΩ	ΓΑΙΩ
ΚΑΙΣΑ	ΚΑΙΣΑΡΙ	ΚΑΙΣΑ
ΓΕΡΜ	ΓΕΡΜΑ	ΡΙΓΕΡ
ΣΕΒ	ΝΙΚΩ	ΜΑΝ

(*Lib. III. c.* 1. *p.* 308.)

in postica parte circum palmae ramum legitur

ΗΡΩΔΗΣΤΕΤΡΑΡΧΗΣ

in medio autem nummorum

LΜΓ LΜΓ LΜΓ

(*Tab. II. ad calcem*)

ex quibus litteris LΜΓ constat Herodem Antipam signasse annum XLIII. suae Tetrarchiae, hoc vero fieri non poterat nisi Herodes Magnus obiisset jam ab anno 750. ut ex dictis; ergo Christus natus non est post an. U. C. 749. Nec ante annum 746. Christus ut Prophetae praenunciaverant, et Hieronymus et Augustinus auctoritate sua confirmarunt natus est, toto orbe in pace composito. Prima pax sub Augusto, ut ex Svetonio, et Dione habemus, evenit an. 725, altera an. 729., quo tempore Christus natus non est, secus puer non fuisset tempore Herodis Magni. Tertia pax assignari non potest ante ann. 746. (Lib. IIII. c. 1. p. 401. et seqq.) quaeque per quinquennium perduravit; igitur Christus ante an. 746. natus non est. Nec anno 746. Etenin putandum haud est Christum conceptum fuisse, priusquam pax in universum adveniret; atqui nonnisi anno 746. postrema sub Augusto pax data est, mense sextili; enumeratis novem mensibus a conceptione ad ortum Christi, patet Christum natum non fuisse an. U. C. 746. Nec anno U. C. 749. Census in Judaea Christo nascente peractus fuit a Sentio Saturnino Syriae, eo tempore, Pro-Praetore (Lib. III. c. 3. p. 338 et seqq.) Atqui Saturninus, (ut ex Josepho) Syriae praefuit ab anno 744. ad annum 748. aliqua ex parte elapsum, cumque jam ab Antiochenis an. 748. fuerint percussi nummi in honorem Vari Successoris Saturnini, Christus ergo natus non est an. U. C. 749. Eadem

ratione natus non est an. U. C. 748.; si enim Christus natus est VIII. Kal. Jan., si natus dum Sentius Saturninus censum in Judaea perageret, dum adhuc Pro-Praetor erat Syriae, cum ex nummis pateat jam an. U. C. 748. (Lib. III. c. 3. p. 346.) Varum successisse Sentio Saturnino in Syria, Christus natus non est an. 748. Ergo juxta Sanclementium Christus in Mundum venit anno U. C. 747. De mense et die Nativitatis Domini variae sunt Scriptorum sententiae; communis vero docet Christum natum esse VIII. Kal. Januar. Vide Scriptores jam citatos de anno Christi ubi de Die et Mense; nec non supplementum Natalis Alexandri in Bibliotheca selecta Hist. Eccles. Cap. II. §. III. pag. IX. Venet. 1793. in fol.

INDEX

PERIODUS PRIMA

A CHRISTO NATO AD CONSTANTINUM MAGNUM.

PARS EXTERIOR

CAPUT PRIMUM

de Christi Nativitate, rebusque ab eo gestis.

CAPUT SECUNDUM

de Propagatione Christianae Religionis.

CAPUT TERTIUM

DE PERSECUTIONIBUS IN CHRISTIANOS EXCITATIS.

NIHIL OBSTAT

Fr. Joannes Ferrini Proc. Generalis Ord. Min. Conv.
Censor Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. P. A.
Magister

IMPRIMATUR

A. Piatti Patriarcha Antiochenus
Vicesg.